Cmpleto

104
LIBRAIRIE ANCIENNE & MODERNE
Alph.se PICARD
82 rue Bonaparte
PARIS

F-3

ICOR
270.61
A844
v.6

INSTITUTE OF CHRISTIAN
ORIENTAL RESEARCH
CATH. UNIV. OF AMER.

3.01 H.

CODEX LITURGICUS
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
LIBER IV.

In quo EUCHARISTIÆ LITURGIÆ *omnes antiquæ ac recentes, cum editæ, tum ineditæ Eccleſiarum Occidentis, & Orientis,*

NUNC PRIMUM PRODEUNT.

JOSEPH ALOYSIUS ASSEMANUS

Ad Mſs. Vaticanos, alioſque caſtigavit, recenſuit, Latine convertit, variantibus Lectionibus illuſtravit.

PARS TERTIA

SACRAMENTARIUM VERONENSE,
Vulgo Leonianum,

ACCESSIT DISSERTATIO,
In qua Novatorum Formulæ Euchariſticæ exhibitæ, illegittimæ demonſtrantur.



Rev. H. HYVERNAT, D.
Catholic University of Ame
Washington, D. C.

ROMÆ MDCCLIV.
APUD HÆREDES BARBIELLINI AD FORUM PASQUINI.

SUPERIORUM PERMISSU.


D SALA TERZA D . N°. 6.

H 104

ICOR
270.61
A844

INSTITUTE OF CHRISTIAN
ORIENTAL RESEARCH
CATH. UNIV. OF AMER.

N° 6



CAROLO EMANUELI

SARDINIAE, CYPRI, HIERUSALEM REGI

SABAUDIAE DUCI, &c. &c. &c.

PATRI PATRIAE

PIO, VICTORI, PACIFICO

BELLI, PACISQUE ARTIUM CULTORI,

PROMOTORI STUDIOSISSIMO.

LITERARUM, LITERATORUM HOMINUM

PATRONO MUNIFICENTISSIMO

FIDEI, RELIGIONISQUE CHRISTIANAE VINDICI.

LIBRI IV.

CODICIS LITURGICI ECCLESIAE UNIVERSAE

PARTEM III.

IN QUA NOVATORUM INJUSTA SECESSIO A CATHOLICA ECCLESIA

DEMONSTRATUR

JOSEPH ALOYSIUS ASSEMANUS

IN ROMANO GYMNASIO PUBLICUS ORDINARIUS PROFESSOR

DAT DEDICAT CONSECRAT

NOMINI MAJESTATIQUE EJUS DEVOTUS.

JOSEPHI ALOYSII ASSEMANI

Ad R. P. D. Nicolaum M. de Vecchis

Sacri Conſiſtorii Advocatum Decanum, nec non Romani Sapientiae Gymnaſii Rectorem Deputatum.

PRAEFATIO

In VI. Cod. Lit. ECCLESIÆ UNIVERSÆ Tomum.

C*Odicis Liturgici Eccleſiæ Univerſæ interruptam jamdiu editionem, ubi abſolvere decrevi, atque ſextum Tomum evulgare conſtitui, mei officii partes implere in primis cogitavi, atque illud potiſſimum, quod eſt tibi gratulari, ac mihi gaudere. Te ſanè vir ampliſſime non latet, quam devinctus ſit, & obligatus meus animus erga* Clementem Argenvillierium, *& juſtiſſimis quidem de cauſis, quas non ſemel publice declaravi in antecedentibus Tomis. Cum igitur die 26. Novembris proximè elapſi a BENEDICTO XIV. Perſonarum, ac meritorum ſapientiſſimo cognitore, atque Retributore æquiſſimo, bonis omnibus plaudentibus,* Argenvillierius *in S. R. E. Cardinalium album deſcriptus fuerit, mihi ipſi multum gaviſus, ac veſtro Collegio, noſtroque Gymnaſio gratulatus ſum; vobis quidem quod tantus veſter collega, qui veſtri Collegii ſplendorem, dignitatem, atque privilegia auxit, reſtituit, & procuravit, in eo jam ſit conſtitutus ſtatu, quo Major Poſt Supremum Pontificem, in Eccleſia non viſitur. Gymnaſio noſtro verò, quod ſingulari exemplo, eum viderit Cardinalem, qui actu Rector ſolertiſſimus illius bono advigilabat, atque primævo decori reſtituere ipſum curabat. Sed ad hoc meum gaudium acceſſit lætitia ex tui deputatione in Rectorem, atque ſubſtitutione* Argenvillierio, *enim vero cum Sacri Conſiſtorii Advocati Collegæ tui de eligendo tanto viro ſucceſſore*

 deli-

deliberarent inſimul convenientes, in Te illico oculos direxerunt, quod tuas virtutes optime perſpectas haberent, quibus Gymnaſii noſtri, & totius Urbis Studiorum ordinatiſſimas ſacraſque leges Sartas tectas eſſes conſervaturus, & Anteceſſoris tui veſtigia premens, Rem literariam publicam eſſes promoturus.

Verum ſatis cærimoniis, quantumvis juſtis, nunc ad Rem propius devenio, atque eorum, quæ in hoc Tomo continentur, rationem tibi reddo, etſi enim Tomus iſte a tuo prædeceſſore fuerit probatus, attamen, ipſum tuo judicio Siſto, atque a te probatum evulgare volui.

Sextus hic Tomus in duas eſt tributus partes, prior concludit Sacramentarium Veronenſe, altera vero diſſertationem, in qua Novatorum Euchariſticæ quædam formulæ exhibitæ illegitimæ arguuntur. Quod ad priorem pertinet partem; Te non latere profecto arbitror, quod ante paucos annos Cl. P. Joſeph. Blanchinius *Quartum Tomum adjiciens Romanorum Pontificum vitis ab Anaſtaſio collectis, a Cl. viri* Franciſco *Patruo ſuo illuſtratis, Opuſculum edidit cum hocce titulo* Codex Sacramentorum vetus Romanæ Eccleſiæ a S. Leone Papa confectus, primum prodit ex mſ. libro ante 1000. annos conſcripto, qui exſtat in Bibliotheca Ampliſſimi Capituli Veronenſis.

Egregium hoc, & pretioſum venerandæ antiquitatis monumentum recudendum duxit Cl. Muratorius, atque tomo primo Liturgiæ Romanæ veteris inſeruit, ex cujus recenſione, nos illud, ut fidem obligatam tom. 4. noſtri Codicis Liberemus, evulgamus. Sed quia illud a nobis quæri poterat, cujus ætatis Codicem faciamus, quo tempore ſcriptum cenſeamus, ad quam pertinuerit Eccleſiam, quem auctorem, ſeu collectorem judicemus, hinc nonnulla conſtituamus oportet ut variorum doctorum hominum placita (quæ longo calamo recitantur a Cl. comite Jacobo Acamo *in diſſert. Italice vulgata an. 1748.) de hocce Codice ad critices leges exigamus.*

Primum, quod conſtituo, eſt, Codicem mutilum eſſe, ac va-

variis lacunis redundare, quin & illud cuique patet, ſcriptorem Codicis multos nævos admiſiſſe, quare hujus diligentia deſideratur. Id ſane omnes concedunt, quum oculari inſpectione evidens fiat.

Alterum, quod prænoſcendum cenſui eſt, maximam eſſe precum, & obſecrationum copiam, varietatem, atque confuſionem, quare plura conſectaria facile quiſque elicere poterit, nonnulla ex. g. ego hic colligam, ac primo orationes ac Liturgias contentas in Codice non unum eundemque auctorem agnoſcere, ſi quidem ſtylus ac phraſis & materies, varium & diverſum auctorem plane demonſtrant. Hoc omnes Doctores agnoverunt, nec ullus eſt, qui id non viderit, Acamo *obſervante.* 2. *Orationes ac Liturgiæ uno eodemque tempore non fuere conſcriptæ quædam enim unam ſapiunt ætatem, aliæ alteram plane redolent.* 3. *In hoc Sacramentario veritas Catholica manifeſtatur & errores, ac hæreſes prædamnantur, ſeu emergentes Liturgicis formulis configuntur, unde Manetis, ſabellii, Pauli Samoſateni, Arii Apollinaris, Macedonii, Pelagii, Eutychetis, Neſtorii; quin & Novatorum hæreſes, atque errores confixi, ac damnati videntur; quamobrem Eccleſiæ Catholicæ morem alibi a nobis propoſitum in hoc Sacrvmentario conſpicimus, mos autem hic obtinuit ut veritas Chriſtiana manifeſtaretur in Liturgiis; ex iis hæreſes damnarentur, vel occaſione hereſeon novæ formulæ componerentur.* 4. *Alter Eccleſiæ mos conſpicuus adparet in hoc Sacramentario, ut ſcilicet pro emergentibus adverſitatibus, & malis corporalibus, ſeu ſpiritualibus, orationes ad Deum fiant, bona quæque à Deo petantur, certis quibuſdam in locis, temporibus & occaſionibus Liturgiæ celebrarentur; & quidem aliquando plures ſimul uno eodemque die, aliquando pauciores.* 5. *Orationes ac formulæ ita conceptæ ſunt, ut aptari poſſint pluribus temporibus: exemplo id declaro. in Romano Miſſali hodierno exſtant Miſſæ pro Natalitiis Sanctorum, pro defunctis, pro variis rebus, & occaſionibus, quæ communes cum ſint, poſſunt & reapſe aptan-*

tantur, & congruunt ſingularibus Sanctis, defunctis, rebus, & occaſionibus, mutatis mutandis, puta nominibus, vel etiam nihil immutando.

Tertio, Conſtituendum eſt, Preces Liturgicas, atque Sacramentaria exarari conſueviſſe & deſcribi, vel pro Eccleſiæ uſu, ſcilicet, ut miniſtri ex iis legerent, ac memoria tenerent; vel ad fines alios, puta ad conſervandam antiquitatem, ſeu ad Eccleſiarum Ritus callendos, quæ altera ratio omnibus fere gentibus ſuaſit Bibliothecarum, & Archivorum conſtructionem. Codices autem conſcripti vel ad publicum ſacrum miniſterium, vel ad privatos uſus, vel publica ac legittima auctoritate probati ſeu recenſiti dignoſcuntur, vel privata amanuenſium ſeu ſcribarum licentia exarati ſunt, hoc autem intereſt, quod priores publica gaudeant auctoritate, poſteriores vero ea polleant, quam ſcriptor habet vel quæ ex ipſo textu exſurgit.

Poſtremum, quod conſtituo, inde repeto, quod libri aliquando tunc primo in membranaceos codices referuntur, cum primo ab auctore, vel collectore, eduntur; aliquando vero jam conditi, & collecti, iterum deſcribuntur, ſeu recuduntur, & quidem vel puri & integri, vel mutili, & additionibus, ſeu detractionibus obnoxii. Hinc facile patet Antiquariorum regulas ut plurimum eſſe fallaces, niſi iis adminiculis fulciantur, quæ prudentem aſſenſum exigant; atque illa certe regula, quæ ex characterum forma deſumitur, eſt nimis fallax; qua de re alibi pertracto in meis prænotionibus ad Eccleſiaſticas inſtitutiones.

Quibus conſtitutis, Mihi hæc explorata declaro, atque primum. In hoc Sacramentario, veluti in ærarium quoddam inlatas contineri preces Liturgicas Romanæ Eccleſiæ, quæ prioribus ſæculis fuere præſcriptæ. Secundum. Codicem Veronenſem, antiquiſſimum eſſe. Cæterum an Codex iſte quinto Sæculo fuerit deſcriptus, an ulli particulari Eccleſiæ in uſu ſacro fuerit, mihi non conſtat, neque ſufficienti ratione id probatum exſiſtimo à cl. Comite Acamo *quin & illud coniicio, ſiquidem conjecturis ſit dandus*

dus locus, à privato aliquo amanuenſi ad privatos uſus Sacramentaria variarum occidentis Eccleſiarum, quæ ad Romanum ritum ſeſe adtemperaverant, fuiſse in unum collecta, & ea quidem quæ ante S. Gregorii recenſionem Sacramentariorum, erant in uſu, quæ cum Gelaſiana haberentur, non improbabilis eſt mihi, ſententia cl. Joſeph. Auguſtini Orſi *S. P. A. magiſtri qui purum putumque Gelaſianum Sacramentarium in Veronenſi Codice contineri cenſuit, cujus ſententia validis ſubnixa videtur conjecturis, enim vero nihil occurrit in Sacramentario, quod Gelaſii ætati non poſſit commode aptari, multa ſunt, quæ Gelaſianum Sacramentarium plane redolent, & certe ſapiunt: ante S. Gregorium nullus Romanorum Pontificum, ſi Gelaſium exceperis, Sacramentaria digeſſiſse, ac recenſuiſse legitur, igitur cum Sacramentarium hoc Gregorianum non habeatur, Gelaſio tribui conjecturæ omnes ſuadent. Sed Nomine Gelaſiani id velim intelligat, quod ſuperius expreſſi.*

Quod vero Acamus contendit Leoni Papæ tribuendam eſſe collectionem hanc, id mihi non probatur, etſi enim multæ orationes Leonis ſapiant ſtylum, & forte ætatem, cum tamen Leo Papa numquam legatur recenſuiſſe ſacramentaria, illi codicem immerito adſcribi judico. Videſis ſi placet, quæ de Gelaſiano in tomo 4. ex cl. Card. Thomaſio recitavi. Ut autem confirmem hoc ipſum, hoc utor argumento: in hodierno Romano Miſſali multa ſunt quæ ſtylum Leonis ſapiunt, ætati Leonis, ejuſque hiſtoriæ aptari commode queunt, & tamen Miſſale hodiernum Leoni non tribuitur. Neq. etiam probatur mihi Cl. Amort Canonici Lateranenſis Sententia, qui Sixto III. tribuit collectionem, vel ejus ætate factam cenſet, quemadmodum nec Cl. Muratorii conjectura placet, qui Felicis III. Papæ ætate conditum ſacramentarium opinatur, quæ enim proferunt, ut conjecturas ac opiniones ſuas confirment, debilia mihi videntur, atque facile a quovis ſolvi poſſe, ſi ad conſtituta a nobis principia, illa exigantur.

Atque hæc de ſacramentario dicta ſunto ſatis, cum nec certiora

tiora occurrant, neque in obſcuris rebus diutius immorari fas ſit; hinc tamen nemo intemperantioris critices ſtudioſus jure tantum Sacramentarium contemnet, quod maximi facio, quin, & ex illo Novatorum errores, ac formulas Liturgicas improbo; etſi enim privatum ſit ſcriptum, continet tamen Sacramentaria, atque preces antiquiſſimas occidentalium Eccleſiarum, quæ congruunt cum cæteris antiquis publicis, & indubitatis Sacramentariis Latinis; diſciplina, ac ritus, & doctrina in eo contentæ antiqua tempora ſapiunt, antiquis, & indubiis monumentis conſonant, orientalium Liturgiis conſentiunt, quare ad alterum præfationis caput digredior.

Novatorum Liturgicas Euchariſtiæ formulas adnexui, ut quilibet oculari inſpectione videri poſſit, quam injuſte, quam illegittime Eccleſiæ Ritualem diſciplinam, doctrinam, & mores abjecerint; fateor, quosdam, & quidem Præſtantes viros, quibus cum conſilium contuli, auctores mihi fuiſſe, ut ad calcem totius codicis integra Sacramentaria Novatorum in ſupplemento coniicerem, quod, & ego cogitaveram, atque ſcriptis me obligaveram: verum inſtitere alii, & unus, cui parere mihi religioni duco, atque heic ex parte meam fidem liberare voluit, horum conſilium ſecutus, hujus voluntati obtemperans, diſſertationem evulgavi.

Sanè cum mihi ipſi ſatisfacere nolim, & aliorum judiciis plurimum deferam; omnibus, quoad poſſum, ac licet, placere, omnium voluntatì, ſi fas ſit, indulgere fert mea indoles, uno verbo omnibus omnia fieri cupio, ut omnes Chriſto Lucri faciam cum igitur hominum varia ſint ingenia, placita diverſa, opiniones diſcrepantes, neque ſemper omnibus æque ſatis poſſim facere, hinc eſt, quod ſemper enitor, ut ſapientibus, & inſipientibus, quibus debitor ſum, rationem reddam, atque opera mea ita digeram, ut omnes habeant, quod ipſorum voluntati arrideat. Codicem Liturgicum in plures tributum partes ſine ullis adnotationibus, commentationibus ac diſſertationibus vulgare decreveram uti in præfatione generali adſervi; & quidem aliquando ab

iis

iis abſtinui, aſt homines fuere, qui prædicta deſiderabant, horum voluntati ſatisfacere cœpi. Diſſertationes expoſtularunt nonnulli, monumenta, appendices, ſupplementa, alii; omnia præſtare duxi, illud tamen ſemper præ oculis habui, ne extra inſtitutum ac propoſitum divagarer, quare Liturgicas diſciplinas, & Ritus illuſtrare, ex iis dogmata confirmare, morum canones propugnare, & adſerere ſemper ſtudui ac ſtudebo, deo dante.

Sed erunt, qui cenſoria virga in me advertant; advertant, per me licet, modo illa juſta ſit, & ad Chriſtianæ Charitatis leges directa; quæ ſi abſit; cedant me, libenter gloriabor in infirmitatibus meis, modo virtus Chriſti adpareat, & Catholica veritas eluceſcat; quodſi enim omnibus hominibus placerem in omnibus, etiam quæ a Chriſtiana Charitate declinant, Dei Servus, miniſter, & amicus non eſſem; neque enim Sanctis doctis hominibus comparare me audeo, & tamen iſti etiam ſimili cenſoriæ Virgæ ſubjecti fuere, Chriſtus ipſe magiſter noſter omnibus hominibus plene non ſatisfecit, quin, & nefarii multas in eo cauſſas deprehendere conati ſunt, & Criminationes non paucas.

Concludam ergo, obteſtans Novatores quidem, ut ſi quid à me dictum fuerit quod ipſis jure non placeat, moneant, rationem ipſis ſum redditurus de ea, quæ in nobis eſt, fide, & ſpe, atque omnes occaſiones ſeceſſionis eorum ab Eccleſia Catholica Romana injuſtas, ac illegittimas demonſtrare ſum paratus, quodſi vero aliquando contingat, ut apte iis non videar reſpondiſse, quæſo mihi id vitio tribuant, non veritati Catholicæ, quam ego forte pro mea infirmitate di lucidare non potui, quin obſcurare tunc videor. Catholicos Lectores rogo, ut vel meliores proferant epulas vel qualicumque cœnula noſtra contenti ſint, me cæcum manuducant, non verberent.

Atque hæc ſatis præfatus ſum. Ad te propterea ſermonem convertam vir ampliſſme, me tuo Patrocinio tuere, conſove, atque Anteceſſoris tui benevolentiam erga me imitare & cura ut valeas, tibi Religioni, ac Literis diu vivas, opus cœptum ad calcem perduci procures, dabam hac die 12. Decembris 1753.

Poterit

Poterit imprimi, ſi iis ita videbitur ad quos pertinet.

Nicolaus Maria de Vecchis Rector Deputatus.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patr. Conſtant. Viceſg.

ADPROBATIONES

J*Vſſa Reverendiſſimi P. Fr. Auguſtini Orſi Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici, ut faceremus, ea, qua par eſt, diligentia, quum percurriſſemus Sextum Volumen CODICIS LITVRGICI* Clariſs. Viri Joſephi Aloyſii Aſſemani *opera & ſtudio adornati, offendere in eo nil potuimus; quod Fidei Catholicæ, aut rectis Chriſtianorum moribus contradicat. Sacra veterum monimenta, ſicut & in præcedentibus voluminibus, in illo exhibentur: Romanæ Eccleſiæ hoſtes refutantur. Quibus ſane; ſi bene & docte tractentur, ad Chriſti Rempublicam tuendam, ad veritatem propugnandum inveniri nil datur exoptabilius. Eapropter exiſtimamus nil eſſe impedimenti quominus Volumen idem Typographi arte evulgetur.*

Datum Romæ, XI. Kal. Januar: Anno R. S. MDCCLIII.

Ego D. Fridericus de Judice Abbas Coeleſtinorum, ac in praedicto Archymnaſio Sacrorum dogmatum Profeſſor,

Antonius Franciſcus Vezzoſi C. R. in Archigymnaſio Romano pub. Hiſt. Eccl. Profeſſor.

Silverius Orbini in eodem Archigymnaſio J. U. Profeſſor Pub.

IMPRIMATVR,

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſs. Pat. Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Praed.

CODEX

CODEX LITURGICUS
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
LIBER QUARTUS
DE EUCHARISTIA
PARS TERTIA.
SACRAMENTARIUM VERONENSE.
MENSE APRILI.

. . . . ut tibi gratæ ſint pro Martyrum feſtivitate Sanctorum, & nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per &c.

Verè dignum. Tibi enim feſtiva ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur, quam beati ſancti Tiburtii Martyris tui ſanguis in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit. Et ideo cum Angelis &c.

Verè dignum. Tuas enim, Domine, virtutes, tuaſque victorias admiramur, quoties in Eccleſia tua horum dierum feſta celebrantur, quos inſignes Confeſſorum tuorum & Martyrum palmæ ad perennem memoriam, ſolemnemque lætitiam fidelibus Populis ſacraverunt. Per &c.

Quos donis celeſtibus ſatias, Domine, defende præſidiis, ut noxiis omnibus expediti poſt ſaluta........ tua toto corde curramus Per &c.

.........æ tuæ, quæſumus, Domine, ſupplicibus tuis tribue largitatem, ut mandata tua, te operante, ſectantes,

& conſolationem vitæ præſentis accipiant, & futura gaudia comprehendant. Per &c.

VII. *Item alia*.

Præſta nobis, Domine, miſericordiam tuam, Sanctorum tuorum ſuffragiis imploratam, & quo interceſſores noſtros eſſe tribuiſti, fac, eos & majeſtatem tuam jugiter exorare, & ſalutaria impetrare pro nobis. Per &c.

Deus, qui nos idoneos non eſſe perſpiciens ad magnificentiam tuam, ſicut dignum eſt, exorandam, eorum nobis, qui tibi placuerunt, præſidia contuliſti: præſta, ut eorum precibus adjuvemur, quorum providiſti nobis miſeratus auxilium. Per &c.

Exaudi, Domine, Populum tuum cum Sanctorum tuorum tibi patrocinio ſupplicantem, & temporalis vitæ nos tribue pace gaudere, & æternæ reperire ſubſidium. Per &c.

Adeſto, Deus noſter, famulis tuis, & oblationes noſtras Sanctorum tuorum placationibus propitiatus intende; ut quod noſtra fiducia non meretur, pia ſupplicatio reddat acceptum. Per &c.

Da nobis, Domine, tuæ pietatis effectum, & commendantibus Sanctis tuis, etiam noſtra munera propitius intuere. Per &c.

Verè dignum. Quoniam tui operis, tuæque pietatis eſt, quod innumeræ Sanctorum tuorum multitudini non ſolùm credere in Filium tuum, Dominum noſtrum, ſed etiam pro eo pati poſſe donatum eſt; ut quos juſtificabat Fides, glorificaret & finis. Per &c.

Verè dignum. Tuas enim, Domine, virtutes &c. *uti ſupra*.

VIII. *Item alia*.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & Sanctorum tuorum ſuffragantibus meritis, preces noſtras dignanter exaudi. Per &c.

pre-

Preces noſtras, Domine, quæſumus, propitiatus admitte, & ut digne tuis famulemur Altaribus, Sanctorum tuorum nos interceſſione cuſtodi. Per &c.

Verè dignum. Quia tu es glorioſus in Sanctis tuis, quibus & in confeſſione virtutem & in paſſione victoriam contuliſti. Propterea cum Angelis &c.

Corporis ſacri & pretioſi Sanguinis repleti libamine, quæſumus, Deus noſter, ut quod pia devotione gerimus, certa redemtione capiamus. Per &c.

IX. *Item alia.*

Tuere, Domine, Populum tuum, & ſalutaribus præſidiis ſemper adjutum, beneficiis attolle continuis & mentis & corporis. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum nos interceſſione cuſtodis; præſta, ut quorum fovemur meritis, proficiamus piæ confeſſionis exemplis. Per &c.

Supplicatio tibi noſtra, Domine, & grata pariter exiſtat oblatio, quæ, quum pro Sanctorum tuorum commemoratione defertur, indulgentiam nobis, iisdem ſuffragantibus, conſequatur. Per &c.

Verè dignum. Qui non ſolum Martyrum, ſed etiam Confeſſorum tuorum es virtute mirabilis. Licèt enim illi paſſione ſint clari, qui manifeſtis acerba ſupplicia ſuſtinuere tormentis: etiam iſti tamen occultæ propoſito caſtigationis afflicti & cruciati, ſpiritalis obſervantiæ diſciplinis illorum ſunt veſtigia ſubſequuti. Per &c.

X. *Item alia.*

Hoſtias, Domine, tuæ plebis intende; & quas in honorem Sanctorum tuorum devota concelebrat, proficere ſibi ſentiat ad medelam. Per &c.

Verè dignum. Qui dum Confeſſores tuos etiam nunc tanta feſtivitate glorificas, ſimul & nullum apud te ſanctum propoſitum doces eſſe ſine præmio; & præter duriora certamina,

 fragi-

fragiles quoſque ad tuæ retributionis munus invitas. Per &c.

Sumentes pignus cæleſtis arcani, & in terris poſiti, jam ſuperno pane ſatiati, ſupplicamus, Domine, deprecantibus ſanctis tuis, ut quod in nobis myſtice geritur, veraciter impleatur. Per &c.

Impetret, quæſumus, Domine, fidelibus tuis auxilium oratio juſta Sanctorum; & in quorum ſunt celebritate devoti, fiant in eorum perpetua ſorte participes. Per &c.

XI. *Item alia*.

Proſint nobis, Domine, quæſumus, tuorum ſuffragia collata Sanctorum; ut quæ noſtris non poſſumus orationibus obtinere, placentium tibi precibus aſſequamur. Per &c.

Sanctorum, Domine, Martyrum tuorum ſupplicationibus tribue nos foveri; ut quorum venerabilem diem annuo frequentamus obſequio, eorum & interceſſionibus commendemur & meritis. Per &c.

XII. *Item alia*.

Deus, qui ad deprecandum te conſcientiæ noſtræ perſpicis non ſufficere facultatem, cunctos Martyres tuos fac orare pro nobis, quos digne poſſis audire. Per &c.

Offerimus tibi, Domine, fidelium tuorum dona ſolemnia, Sanctorum Martyrum interventionibus confidentes; ut quod nos exſequimur minus idonea ſervitute, illorum potiùs meritis efficiatur acceptum. Per &c.

Verè dignum. Qui ſic hoſtis antiqui machinamenta deſtruxit, ut Diabolo, quem ſua virtute proſtraverat, etiam Sanctos ſuos, Spiritu veritatis armatos, redderet fortiores, ne vel ſævitiam metuerent perſequentium, vel de promiſſæ beatitudinis æternitate dubitarent: quorum gloriam hodierna feſtivitate recolentes, hoſtias tibi laudis offerimus, cum Angelis &c.

conſequuti gratiam muneris ſacri, ſupplices, Domine te rogamus; ut implorantibus pro nobis Sanctis Martyribus tuis;

Divi-

Divinæ virtutis effectum, quem corporaliter ſumſimus, ſpiritaliter ſentiamus. Per &c.

Protege, Domine, plebem tuam, cum Sanctorum tuorum patrocinio ſupplicantem, & in tua pietate confiſam interius exteriuſque purifica; ut per hæc, quæ Divino ſacrificio guſtaverunt, & mentium ſalutem mereantur & corporum. Per &c.

XIII. *Item alia*.

Prætende nobis, Domine, miſericordiam tuam; & Sanctos tuos, quorum nos feciſti patrociniis adjuvari, tribue, majeſtatem tuam jugiter exorare pro nobis. Per &c.

Suſcipe, Domine, ſacrificium placationis & laudis, quod nos intervenientibus Sanctis, & perducat ad veniam, & in perpetua gratiarum conſtituat actione. Per &c.

Repleti ſubſtantia reparationis & vitæ, quæſumus, Domine Deus noſter, ut per ea, quæ nobis munera dignaris præbere cæleſtia, per hæc eadem tribuas nos inhærere cæleſtibus. Per &c.

Protector in te ſperantium Deus, ſalva Populum tuum, tuere, diſpone; ut a peccatis liber, ab hoſte ſecurus, in tua ſemper gratia perſeveret. Per &c.

XIV. *Item alia*.

Propitius eſto, Domine, plebi tuæ, & auxilium nobis de ſancto celerius fac adeſſe. Per &c.

Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & ſalutaris tui dona concede. Per &c.

Laudis tuæ, Domine, hoſtias immolamus, quibus nos & præſentibus exui malis confidimus & futuris. Per &c.

Verè dignum. Majeſtatem tuam ſupliciter exorantes, ne perire patiaris, quibus tanta remedia providiſti: & collata præſidia, non ad cumulum reis damnationis eveniant, ſed potius ad effectum ſalvationis accedant. Per &c.

Ab omni nos, Domine, quæſumus, vetuſtate purgatos

Sa-

Sacramenti veneranda perceptio in novam conferat creaturam. Per &c.

Non præjudicet, quæſumus, Domine, Fidelibus tuis noſtra minus idonea deprecatio ſervitutis; ſed merita noſtra prævincens, Eccleſiam tuam ſantifica, guberna, ſalva, proſequere; & tibi ſine ceſſatione devotam perpetua redemtione confirma. Per &c.

XV. *Item alia.*

Exaudi, Domine, preces noſtras, & Sanctorum Martyrum nos tuere præſidiis. Per &c.

Reſpice, Domine, munera, quæ in Sanctorum tuorum commemoratione deferimus; ut quorum honore ſunt grata, eorum nobis fiant interceſſione perpetua. Per &c.

Verè dignum. Te enim laudant & benedicunt omnes Sancti tui, quibus & in confeſſione virtutem, & in paſſione victoriam contuliſti. Per &c.

Præſta, Domine, Deus noſter, ut quorum nobis feſtivitate votiva ſunt Sacramenta, eorum ſalutaria nobis interceſſione reddantur. Per &c.

Tuere, Domine, ſupplices tuos, ſuſtenta fragiles, purga terrenos; & inter mortalium tenebras mortales ambulantes tua ſemper luce vivifica, atque a malis omnibus clementer ereptos, ad ſumma bona pervenire concede. Per &c.

XVI. *Item alia*

Præſta, quæſumus, Domine, ut Martyrum tuorum jugiter celebremus meritum, quorum continuum ſentimus auxilium. Per &c.

Sacrificium tibi, domine, pro Sanctorum Martyrum Natalitiis immolamus; ut quorum gaudemus præſidiis, gloriam frequentemus. Per &c.

Verè dignum. Cognoſcimus etenim, Domine, Sanctorum nos Martyrum deprecatione muniri, majeſtatem tuam profuſius implorantes, ut & temporaliter his patrociniis nos fove-

foveri, & ſpiritaliter præcipias adjuvari. Per &c.

Da nobis, quæſumus, Domine, ut cum Martyrum ſolemnitate Sanctorum perpetua tuitione lætemur. Per &c.

Exultet, Domine, Populus Chriſtianus de magnorum Filii tui glorificatione membrorum; & quanto eminentiora ſunt ceteris, tanto magis de eorum culmine inferiora congaudeant. Per &c.

XVII. *Item alia*.

Eſto propitius, Domine, quæſumus, plebi tuæ, & ſuffragantibus Sanctis tuis, tribue nobis veniam peccatorum: concede placatus & pacem, ut propitius largiaris auxilium. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, preces noſtras; & hujus oblationis obſequium, quod in Sanctæ Martyris tuæ commemoratione offerimus, ad placationem tui nominis copioſa nobis fac provenire clementia, & ad gaudium nobis tranſeat ſempiternum. Per &c.

Verè dignum. Quoniam tu Sanctis tuis & patientiam tolerantiæ, & in beati fine certaminis das triumphum. Per &c.

Sacris reparati myſteriis ſuppliciter exoramus, ut intervenientibus Sanctis tuis, apprehendamus rebus effectu, quod actionibus celebramus affectu. Per &c.

Creator Populi tui Deus atque reparator, tuere ſupplices, tuere miſericordiam poſtulantes; ut ſatisfactis pro ſe intercedente Sanctum (*illum*) & inſtituta bona recipiant, & reſtaurata cuſtodiant. Per &c.

XVIII. *Item alia*.

Concede, Domine, Populo tuo veniam peccatorum, & religionis augmentum, atque ut ei tua dona multiplices, Sanctorum Martyrum tuorum patrocinia ſac adeſſe. Per &c.

Suſcipe, Domine, propitius Eccleſiæ tuæ munera, & Sanctorum precibus nos tuere, qui tuæ juſtitiæ ſunt placentes. Per &c.

Ve-

Verè dignum. Quia te benedicunt & laudant omnes Sancti tui, quibus & in confeſſione virtutem, & in paſſione gloriam contuliſti. Per &c.

Sanctorum precibus, Domine, quæſumus, ſalus & mentium præſtetur & corporum; ut doni tui fiat nobis & benedictio copioſa & larga protectio. Per &c.

Da auxilium, Domine, quæſumus, majeſtati tuæ poteſtatique ſubjectis, & quidquid ſuis meritis non præſumunt, Sanctorum tuorum precibus conſequantur. Per &c.

XIX. *Item alia.*

Adeſto, Domine, precibus noſtris, quas in Sanctorum tuorum commemoratione deferimus, ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus; eorum, qui tibi placuerunt, meritis adjuvemur. Per &c.

Exaudi, Domine Deus noſter, cum Sanctorum tuorum tibi patrocinio ſupplicantes; ut quorum celebramus triumphos, poſſimus retinere conſtantiam. Per &c.

Pretende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & Sanctos tuos, quorum nos dediſti patrociniis adjuvari, tribue majeſtatem tuam jugiter exorare pro nobis. Per &c.

Auxiliare, Domine, fragilitati noſtræ, ut tuorum interceſſione Sanctorum non reprobemur meritis, quos tantis deputare dignaris officiis. Per &c.

Tribue, quæſumus, Domine, donis tuis libera nos mente ſervire, ut intervenientibus Sanctis tuis, munera, quæ deferimus, & medelam nobis operentur & gloriam. Per &c.

Verè dignum. Quia tu es glorioſus &c.

Verè dignum. Quoniam tui operis &c.

Sacri Corporis, & Sanguinis pretioſi renovati libamine &c.

Conſerva, Domine, Populum tuum; & quem ſalutaribus præſidiis non deſinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere beneficiis mentis & Corporis. Per &c.

XX. *Item*

XX. *Item alia.*

Sanctorum tuorum, Domine; precibus adjuvemur; & quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eorum nobis poſtulatione donetur. Per &c.

Hoſtiam noſtram, quæſumus, Domine, Sancti Laurentii Martyris tui & confeſſio veneranda & beata commendet oratio. Per &c.

Verè dignum. Qui nos per mundi caligines, tamquam luminaribus Cæli, Sanctorum tuorum exempli s inſtituis, & interceſſione proſequeris. Per &c.

Inter innumera, Domine pietatis tuæ ſubſidia hinc fragilitatem noſtram confidimus non relinqui, qui tanta nobis placentium tibi patrocinia ſunt proviſa. Per &c.

Deus errantes in via poſſe redire, veritatis lumen oſtendis: da cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea, quæ ſunt apta ſectari. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tuæ menſæ participes a Diabolico jubes abſtinere convivio, da, quæſumus, plebi tuæ, ut guſtu mortiferæ profanitatis abjecto, puris mentibus ad epulas æternæ ſalutis accedant. Per &c.

Verè dignum. Cujus Eccleſia ſic veris Confeſſoribus (*a*) falsiſque permixta nunc agitur, ut tamen & fragilitatis humanæ ſemper cavenda mutatio, & nullius ſit deſperanda converſio: qùo magis ſupplices te rogamus, ut quia ſine te non poteſt ſolida conſtare devotio, & firmis perſeverantiam, & reſcipiſcientiam largiaris infirmis. Per &c.

Da, quæſumus, Domine, Populo tuo a Diabolicis, quibus renuntiavit, laqueis abſtinere, & toto tibi corde proſterni. Per &c.

(a) *Formula Præfationis hujus, quæ ad Confeſſores potius quàm ad Martyres ſpectare videtur, ſuſpicionem mihi ingerit, duas heic Miſſas in unam coaluiſſe, oſcitantia Antiquarii, qui numerali nota hanc a præcedenti diſtinguere prætermiſit,*

XXI. *Item alia*.

Majeſtati tuæ nos, Domine, Martyrum ſupplicatio beata conciliet, ut qui inceſſabiliter actibus noſtris offendimus, continuis juſtorum precibus expiemur. Per &c.

Grata tibi munera noſtra ſint, Domine, quæ tuis ſunt inſtituta præceptis, & Sanctorum feſtivitas glorioſa commendet. Per &c.

Verè Dignum. Te in Sanctorum tuorum confeſſionibus laudantes; quorum dum ſolemnia frequentantur, copioſiora nobis Fidei proponuntur exempla; dum ſæpius victoriæ revolvuntur, crebriora nobis miniſtrantur auxilia; dum multipliciter uberius meritum prædicatur & gloria, ſpes nobis æternæ beatitudinis propenſius intimatur. Per &c.

Repleti, Domine, cæleſti myſterio, & benedictionibus ſuffragantum, gratias agimus nomini tuo, qui nos & ſalutati munere comitaris, & Sanctorum patrociniis benignus attollis. Per &c.

XXII. *Item alia*.

Martyrum tuorum nos, Domine, ſemper feſta lætificent; & quorum celebramus meritum, experiamur auxilium. Per &c.

Magnificamus, Domine, nomen tuum, omnipotens & miſericors Deus, qui fragilitati noſtræ ſubveniens, non ſolùm nobis myſteria divina largiris, ſed etiam per quorum preces his digni reddamur. Per &c.

Verè dignum. Celebramus enim tuorum Natalitia pretioſa juſtorum, quæ dum quotidie toto Orbe reſplendeant, ſemper & inchoantur expleta, & explentur jugiter inchoanda. Per &c.

Frequenti Sacramentorum perceptione ſatiati, ditati, quæſumus, Domine, ut quorum honore geminantur, ſalutifera nobis oratione proveniant. Per &c.

Adſit, Domine, miſericordia tua Populo, Sanctorum deprecatione placatus, quæ eum ſemper & purget a crimine, & ab hoſte defendat, temporalibus provehat adjumentis, & ad Sanctorum gaudia ſempiterna perducat. Per &c.

Item

XXIII. *Item alia.*

Sacræ feſtivitatis nobis, quæſumus, Domine, dona multiplica; quum & ſalutis noſtræ vota recolimus, & eorum, qui tibi ſunt placiti patrociniis adjuvemur. Per &c.

Exercentes, Domine, glorioſa commercia, offerimus, quæ dediſti, ut te ipſum mereamur accipere. Per &c.

Verè dignum. Quoniam licèt immenſa ſint omnia, quæ initiis humanæ ſunt collata ſubſtantiæ, quòd eam ſcilicet crearis ex nihilo; quod tui dederis cognitione pollere; quod cunctis animantibus ſummæ rationis participatione prætuleris: quòd tota Mundi poſſeſſione ditaris: longe tamen mirabiliora ſunt opera, ut terrenam mortalemque materiam non ſolùm vivificaris extinctam, ſed effeceris & Divinam. Per &c.

XXIV. *Item alia.*

Altaribus tuis, Domine, munera terrena gratanter offerimus, ut cæleſtia conſequamur; damus temporalia, ut ſumamus æterna. Per &c.

Verè dignum. Quis enim aut poſſit aut audeat a tua laude ceſſare, perpendens mirandæ depoſitionis effectus, quòd de ſubſtantiæ genere peccatricis immaculata hoſtia gigneretur, cujus, pro ejusdem reatu naturæ, poſſis immolatione placari. Per &c.

XXV. *Item alia.*

Da nobis hæc, quæſumus, Domine, frequentata myſteria; quia quoties hoſtiæ tibi placatæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemtionis exercetur. Per &c.

Verè dignum. Quia quum totus Mundus experiatur & cernat, generis humani principia dejecta erigi, inveterata renovari, & ad culmen ſubacta reduci: ſicut veteres Sancti quod credidere faciendum, cognoſcit impleri, ſic fiducialiter, quæ nunc promittuntur expectat. Per &c.

XXVI. *Item alia.*

Sacrificium, Domine, celebramus, quod ita nobis de-

bet eſſe perpetuum, ſicut nos ejus opere fieri jugiter deſideramus æternum. Per &c.

PASCHALI SC F SP.

Verè dignum. Qui ſe ipſum tibi pro nobis offerens immolandum, idem Sacerdos & ſacer Agnus exhibuit. Per &c.

Tribue nobis, Domine, miſericordiam tuam, per quam & noſtris reatibus poſſimus abſolvi, & his myſteriis convenienter aptari. Per &c.

XXVII. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum Martyrum confeſſionibus Eccleſiæ tuæ ſacrum corpus exornas: da nobis, quæſumus, ut & doctrinis eorum tibi placentia & pio ſequamur exemplo. Per &c.

Exaudi, Domine, ſupplicum preces, & quas merita noſtra deſtituunt, Sanctorum tuorum commendatio reddat acceptas. Per &c.

Suſcipe, Domine, munera tuorum votiva Populorum; & eorum tibi grata ſint precibus, pro quorum ſolemnitate offeruntur. Per &c.

Verè dignum. Qui nos ſanctorum Martyrum tribuis glorioſas indeſinenter celebrare victorias. Iſti ſunt enim Confeſſores illius nominis, in quo nobis unicum ſalutis noſtræ præſidium, Pater æterne, poſuiſti. Et ut ad ejus cognitionem poſſimus accedere, parvularum mentium fidem, eorum & teſtificationibus inſtruis, & interceſſionibus benignus attollis. Per &c.

Sanctorum precibus, Domine, confidentes, quæſumus; per ea, quæ ſumſimus, æterna remedia capiamus. Per &c.

Supplicem tibi Populum, Domine, tua munitione cuſtodi; nec difficulter quod pie, quod juſte poſtulat conſequatur, cui Sanctorum tuorum merita ſuffragantur. Per &c.

Item

XXVIII. *Item alia.*

Hoſtias tibi, Domine, Sanctorum tuorum dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium. Per &c.

Præſta nobis, Domine, quæſumus, universa peccata pariter atque pericula corporis & mentis evadere, quos innumerabilium Martyrum pia confeſſione circumdas. Per &c.

Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus in venerabilium commemoratione Sanctorum. Da, quæſumus, ut quod illis contulit gloriam, nobis proficiat ad ſalutem. Per &c.

Verè dignum. Qui nos beatorum Martyrum palmas in diebus, quos ſuo ſanguine ſignavere, venerantes, in tua exaltare potentia, in tuo, Domine, tribuis ſemper honore gaudere. Per &c.

Sumſimus, Domine, Sanctorum tuorum ſolemnia celebrantes, cæleſtia Sacramenta; quorum ſuffragiis, quæſumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis conſequamur. Per &c.

XXIX. *Item alia.*

Apoſtolica nos muniat, Domine, ſemper oratio; ut iiſdem ſuffragantibus dirigatur Eccleſia, quibus Principibus gloriatur. Per &c.

... Sanctorum tuorum miſeris eſto, Domine, refugium ſingulare, quorum pro nobis & honore placeris & merito. Per &c.

Ad Martyrum tuorum, Domine, feſta venientes, cum muneribus nomini tuo dicatis, occurrimus, ut illis reverentiam deferentes, nobis veniam conſequamur. Per &c.

Verè dignum. Quoniam tu es glorioſus in Sanctis, quibus & in perſecutione tolerantiam tribuiſti, & in paſſione victoriam contuliſti. Per &c.

Memento, Domine, quæſumus, conditionis humanæ, ut Sancti tui pro nobis & clementiam tuam ſemper exorent, & inceſſabiliter audiantur. Per &c.

Item

XXX. *Item alia*.

Protege nos, Domine, tuorum deprecatione juſtorum Sanctorum; ut, quorum circumdamur ſuffragio, foveamur auxiliis. Per &c.

Da nobis, quæſumus, Domine, ſemper hæc tibi vota deferre, quibus, Sanctorum tuorum Natalia celebrantes, tuam gloriam prædicemus. Per &c.

Verè dignum. Quia Sanctorum tuorum ſolemnia repetimus, quorum veneranda confeſſio & mirabilia virtutis tuæ explevit, & illis præmium cæleſte quæſivit, & nobis patrocinia præparavit. Per &c.

Proſint nobis Domine, juſtorum tuorum frequentia ſolemnia: quoniam quanto fragiliores ſumus, tanto tibi placentibus præſidiis indigemus. Per &c.

XXXI. *Item alia*.

Peccatorum noſtrorum multitudine prævalente, Sanctorum tuorum, Domine, annua feſta recolimus; ſingulare ſuffragium per eos tuam miſericordiam deprecantes, quorum nos voluiſti patrociniis adjuvari. Per &c.

Offerentium tibi munera, quæſumus, Domine, ne delicta reſpicias; ſed interceſſorum merita propitius intuere. Per &c.

Verè dignum. Te in tuorum glorificantes confeſſione Sanctorum, qui, mirabili diſpenſatione ſapientiæ tuæ, & illis beatitudinem ſempiternam, & fragilitati noſtræ congrua præparaſti ſubſidia; ut quos ad te placandum prævideres dignos, eorum, qui tibi placuerunt, dignis precibus propitiatus intenderes. Unde ſupplices imploramus, ut ſicut illos manet æternæ felicitas, ſic pro nobis eorum deprecatio continuata non deſit. Per &c.

Peccavimus tibi omnipotens & miſericors Deus. Remedium non habemus, niſi miſerearis nobis tuorum deprecatione Sanctorum. Per &c.

XXXII. *Item alia.*

Da nobis, omnipotens & miſericors Deus, ut Sanctorum tuorum Natalitia celebrantes, quorum prædicamus triumphos, eorum fidem veraciter imitemur. Per &c.

Offerimus, Domine, munera tuorum tibi ſolemnitatibus grata Sanctorum, tuam clementiam deprecantes, ut quod ad illorum gloriam, nobis proſit ad veniam. Per &c.

Verè dignum. Quoniam Martyrum beatorum pro confeſſione tui nominis venerabilis ſanguis effuſus ſicut tua mirabilia manifeſtat, qui perficis in infirmitate virtutem, ita noſtris & ſtudiis dat profectum, & fragilitatibus præſtat auxilium. Per &c.

XXXIII. *Item alia.*

Sanctis intervenientibus, Domine, tibi ſervitus noſtra complaceat, & obſequia munerum fiant præſidia devotorum. Per &c.

Aſpice nos, Domine, precibus exoratus venerandi Martyris Gregorii, tua miſeratione concedens, ut ſicut nobis ejus paſſio contulit hodiernum in tua virtute conventum, lætitiam, ita ſuffragetur & meritum. Per &c.

Fiat, Domine, quæſumus, hoſtia ſacranda placabilis pretioſi celebritate Martyrii, quæ & corda noſtra purificet & tuorum tibi vota conciliet. Per &c.

Verè dignum. Propenſius exorantes, ut ſicut infirmitati noſtræ præſcius contuliſti ſubſidia copioſa juſtorum, ita nobis eorum tribuas interceſſione refoveri. Per &c.

Exaudi nos, Domine, clamantes ad te, & quos non deſeris ſacramentis, neceſſariis attolle præſidiis. Per &c.

XXXIV. *Item alia.*

(*a*) IN DEDICATIONE.

Deus, qui beati Petri Apoſtoli dignitatem ubique facis eſſe glorioſam: præſta, quæſumus, ut & doctrina ſemper ipſius foveamur & meritis. Per &c. Suſci-

(a) *Scripta in margine Codicis ab alio Antiquario fuere hæc duo verba.*

Suſcipe, Domine, quæſumus, hoſtias, quas majeſtati tuæ in honore beati Apoſtoli Petri, cui hæc eſt Baſilica ſacrata, deferimus, & ejus precibus nos tuere. Per &c.

Verè dignum. Qui ut in omni loco dominationis tuæ beati Petri Apoſtoli magnifices poteſtatem, non ſolùm ubi venerabiles ejus Reliquiæ conquieſcunt, ſed ubicumque pretioſa reverentia fuerit invocata, tribuis eſſe præſentem: nunc etiam perſeverare demonſtres, quod in omnem terram ſonus ejus exeat & toto orbe ſalutaria verba decurrant. Per &c.

Benedicimus, Domine, miſericordias tuas, qui nos inceſſabiliter beati Apoſtoli tui Petri ſinis commemoratione foveri, ſuppliciter exorantes, ut cujus ſolemnia gerimus, patrocinia ſentiamus. Per &c.

XXXV. *Item alia*.

Si vis, potens es mundare, Domine; & quam vox iniquitatis noſtræ non obtinet, tuorum nobis precibus veniam donare Sanctorum. Per &c.

Supplices, Domine, te rogamus, ut quamvis offenſiones noſtræ impediant, recordatione tamen Martyrum tuorum munus noſtrum non ſit ingratum. Per &c.

Verè dignum. Proſtrato corde poſcentes, ut quamvis tanta ſint noſtra facinora, quibus etiam cum innumerabilibus Sanctorum ſuffragiis laboremus: tu tamen immenſa pietate concedas, ne ſcelera magis noſtra prævaleant, quàm ſatisfactio pro nobis copioſa juſtorum. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut quam immenſis erroribus aggravati fiduciam conſcientiæ non habemus, Martyrum tuorum nobis ſupplicatio beata ſubveniat. Per &c.

XXXVI. *Item alia*.

Proſint meritis, Domine, patrocinia multiplicata Sanctorum, & injuſtitias noſtras tot oratio beatorum pro nobis fuſa diſſolvat. Per &c.

Ne, quæſumus, Domine, pro noſtris exceſſibus munera dela-

delata deſpicias; ſed pro tuorum interceſſione Sanctorum potius ad indulgentiam convertere ſupplicibus. Per &c.

Verè dignum. Tu etenim, Domine, diſcernis Populum tuum; (*a*) & ad Martyrum feſta multitudo conveniat; qui in tuorum verè Fidelium ſint parte cognoſcis: atque ideo in nulla remaneat Diaboli portione, qui in Sanctorum cupit ſorte numerari. Per &c.

Annue, quæſumus, Domine, ſacris Martyribus tuis, ut opem nobis ſuæ deprecationis impendant, & iram tuam, quam noſtris pravitatibus meruimus, evadamus. Per &c.

XXXVII. *Item alia.*

Non obruamur, Domine, quæſumus, quamvis immenſis molibus peccatorum, qui ubique Sanctis tuis deprecantibus exoramus, ut malis noſtris offenſus præſentes hoſtias non repellas, ſed tibi nos placitos Sacramenti virtute perficias. Per &c.

Verè dignum. Donari nobis ſuppliciter exorantes, ut ſicut Sancti tui mundum in tua virtute vicerunt, ita nos a mundanis erroribus poſtulent expediri. Per &c.

Quia noſtræ voces, Domine, non merentur audiri, Sanctorum tuorum interventio, quæſumus, ſit accepta, (*b*) fiat grata, pro nobis Per &c.

XXXVIII. *Item alia.*

Preces noſtras, Domine, propitiatus admitte, & ut digne tuis famulemur Altaribus, Sanctorum tuorum nos interceſſione cuſtodi. Per &c.

Tribue nos, Domine, quæſumus, donis tuis libera mente ſervire, ut, purificante nos gratia tua, iiſdem, quibus famulamur, myſteriis emendemur. Per &c.

Verè dignum. Tibi etenim, Domine, ſacra feſtivitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur, quam beatorum Marty-

(a) *Aſſuta heic ſe produnt verba* & ad Martyrum feſta multitudo conveniat.

(b) Fiat grata *redundant, intruſa a varianti lectione.*

rum tuorum ſanguis, in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui fragilitati noſtræ conſulens, aſſidua nos Sanctorum celebritate ſolaris da nobis ſub Patronis talibus conſtitutis, & perpetua ſecuritate muniri, & ſalutari gaudere profectu. Per &c.

(*a*) Grata tibi munera noſtra ſint, Domine, quæ & tuis ſunt inſtituta præceptis, & Sanctorum tuorum feſtivitas glorioſa commendat. Per &c.

Verè dignum. Tuas enim, Domine, virtutes, tuaſque victorias admiramur; quoties in Eccleſia tua &c.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut divina myſteria, quæ in tuorum commemoratione Sanctorum frequentamus, actu ſubſequamur & ſenſu. Per &c.

Adeſto, Domine, Populo tuo cum Sanctorum patrocinio ſupplicanti, ut quod propria fiducia non præſumit, ſuffragantium meritis conſequatur. Per &c.

XXXIX. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos idoneos non eſſe perpendis ad majeſtatem tuam, ſicut dignum eſt, exorandam, da, ſanctos Martyres tuos pro noſtris ſupplicare peccatis, quos digne poſſis audire. Per &c.

Adjuva nos, Domine, tuorum prece Sanctorum, ut quorum feſta gerimus, ſentiamus auxilium. Per &c.

Oblationem familiæ tuæ, Domine, ſanctorum Martyrum præſidia deputata commendent, & ut tibi grata ſint, placentium tibi ſupplicationibus offerantur. Per &c.

Verè dignum. Qui non ſolùm debitum mortis antiquæ, quo idem non tenebatur, exſolvens, pro debitoribus repenſavit, ſed Martyribus ſuis contulit, ut, quod humana ſubſtantia contra voluntatem ſui Creatoris agendo contraxerat, & præ-

(a) *Me contradictorem non habeat, qui ſuſpicetur ex defectu numeralis notæ Antiquarium duas Miſſas tanquam unam heic retuliſſe.*

præfixa lege fuerat ſolutura, dum pro teſtimonio Creatoris ſponte ſuſciperent, fieret eis de reatu juſtitia, & pœna tranſiret ad gloriam. Per &c.

XL. *Item alia*.

Sint tibi placita, Domine, populi tui votiva ſacrificia, & quod fragilitas noſtra non impetrat, eorum ſupplicatio, pro quorum gloria deferuntur, obtineat. Per &c.

Dicata nomini tuo munera, Domine, Sanctorum tuorum pro nobis ſatisfactio proſequatur; ut offenſæ noſtræ per eos, qui in conſpectu tuo digni ſunt, relaxentur. Per &c.

Verè dignum. Qui ad majorem triumphum de humani generis hoſte capiendum, præter illam gloriam ſingularem, qua ineffabilibus modis Domini virtute proſtratus eſt, ut etiam a ſanctis Martyribus ſuperaretur, effecit; atque in membris quoque ſuis victoria ſequeretur, quæ præceſſit in capite. Per &c.

XLI. *Item alia*.

Exaudi, Domine, preces noſtras; & ut digna ſint munera, quæ oculis tuæ majeſtatis offerimus, ſubſidium nobis tuorum concede Sanctorum. Per &c.

Verè dignum. Tui enim operis, Domine, tuæque virtutis eſt, ut inimicus humanæ ſubſtantiæ non tantum per Filium tuum Dominum noſtrum, ſed etiam per ſanctos Martyres tuos debitrici ſuæ quondam naturæ redderetur obnoxius, & ſubditæ ſibi ſubderetur. Et ideo cum Angelis &c.

XLII. *Item alia*.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ne apud juſtitiam tuam peccata noſtra nos aggravent, quam tuæ pietatis invicta miſeratio ...... nec nos, quamlibet innumeris gravari patiaris erroribus, quos tantis voluiſti Sanctorum tuorum ſuffragiis adjuvari. Per &c.

Reſpice propitius, Domine, ſuper hæc munera, quæ & pro Sanctorum tuorum commemoratione deferimus, &

pro noſtris offenſionibus immolamus. Per &c.

Verè dignum. Pugnavit enim in beatis Martyribus tuis contra profanitatem Mundi tuæ Fidei glorioſa confeſſio; contra irrationabilem ſævitiam perſequentium ſapiens ſanctaque patientia; contra illecebras temporales ſpes cæleſtium, (*a*) promiſſio, præmiorum; contra vitæ præſentis affectum venturæ ſalutis æternitas, & in omnibus frementis machinamenta Diaboli, dextera tua in eis dimicante, vicerunt. Per &c.

XLIII. *Item alia.*

Oblationes noſtras, quæſumus, Domine, tua tibi dignatione fac placitas: quia nihil in nobis, quod placare te poſſit, niſi, deprecantibus Sanctis, tua nos propitiatione prævenias Per &c.

Verè dignum. Venerabilium Martyrum præconia recolentes: quoniam tui operis, Domine, tuæque virtutis eſt &c. (*b*).

Et Natalitiis Sanctorum, Domine, & Sacramenti munere vegetati, quæſumus, ut bonis, quibus per tuam gratiam nunc fovemur, perfruamur æternis. Per &c.

Adſit, Domine, quæſumus, propitiatio tua Populo ſupplicanti, ut quod, te inſpirante fideliter expetit, tua celeri largitate percipiat. Per &c.

MENSE MAJO.

Preces in Aſcenſa Domini.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris; ut ſicut humani generis Salvatorem conſedere tecum in tua majeſtate conſidimus, ita uſque ad conſumationem Sæculi manere nobiſcum, quemadmodum es pollicitus, ſentiamus. Per &c.

Omni-

(a) Promiſſo, *varians lectio, quæ irrepſit in textum.*
(b) *Uti in Præfatione prima VI. Miſſæ.*

Omnipotens ſempiterne Deus, tribue nobis munere feſtivitatis hodiernæ, ut illuc filiorum tuorum dirigatur intentio, quo in tuo Unigenito tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per &c.

Exaudi nos, miſericors Deus, & da mentibus noſtris, quo Redemtor noſter conſcendit, attolli, ut ſecundo Mediatoris adventu manifeſto munere capiamus, quod nunc audemus ſperare promiſſum. Per &c.

Præſta nobis, omnipotens & miſericors Deus, ut quæ viſibilibus myſteriis celebrando ſuſcepimus, inviſibili conſequamur effectu. Per &c.

Da nobis, Domine, non terrena ſapere, ſed amare cæleſtia, & inter prætereuntia conſtitutos jam nunc inhærere manſuris. Per &c.

Exaudi nos, Deus ſalntaris noſter, quia per hæc ſacroſáncta myſteria; (*a*) (commercia) in totius Eccleſiæ confidimus corpore faciendum, quod ejus præceſſit in capite, per eumdem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

I.

Verè dignum. Qui poſt Reſurrectionem, ſæculis omnibus glorioſam, Diſcipulis ſuis viſu conſpicuus, tactuque palpabilis uſque in quadrageſimum diem manifeſtus apparuit; ipſiſque cernentibus eſt elevatus in cælum: in id proficientibus per has moras Eccleſiæ primitivis, ut & certius fieret, quod credidiſſent, & plenius diſcerent, quod docerent. Per &c.

II.

Verè dignum. Juſta enim nobis exſultatione lætandum eſt inter gaudia feſtivitatis hodiernæ; quia in Cælos Aſcenſio mediatoris Dei & hominum hominis Jeſu Chriſti, a noſtra non eſt humilitate diſceſſio; dum & in ea gloria, quam tecum ſemper habuit, & in ea natura eſt, quam ſuam fecit ex nobis: ac ſic homo dignatus exiſtere eſt, ut nos Divinitatis ſuæ tribueret eſſe participes. Propterea &c.

Verè

(a) Commercia, *varians lectio.*

III.

Verè dignum. Quia mirantibus Angelis, Angelorumque principibus, Rex gloriæ, Dominuſque virtutum, Reſurrectionis beatæ primitias, throno tuæ majeſtatis oblatas, in tua ſecum dextera collocavit. Et ideo &c.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes Aſcenſionis in Cælum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & memoriam venerantes &c.

IV. *Item alia.*

Verè dignum. Teque ſuppliciter exorare, ut mentibus noſtris tua inſpiratione concedas, quo Redemtor noſter conſcendit, attolli, ut ſecundo Mediatoris adventu, manifeſto munere capiamus, quod nunc audemus ſperare promiſſum, per hunc eumdem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem te laudant Angeli &c.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut noſtræ mentis intentio, quò ſolemnitatis hodiernæ glorioſus auctor ingreſſus eſt, ſemper intendat, & quò fide pergit, converſatione perveniat. Per &c.

V. *Item alia*,

Exaltationem noſtræ conditionis humanæ (*a*) ſubſtantiæ reſpice, Deus, ut tua dignatione mundati, Sacramentis magnæ pietatis aptemur. Per &c.

Verè dignum. Ut ſenſibus noſtris dignanter infundas, ne terrenis affectionibus inhærendo, oculos ad cæleſtia non levemus: ne infimis voluptatibus occupati, mentes non valeamus attollere, quò Salvator noſter aſcendit; ne diabolica ſectando veſtigia, a Chriſti conſortio recedamus: quia nemo poteſt ſummi verique Regis celſitudine delectari, niſi qui peſtifera destructa (*b*) (ſubverſa) Tyranni jura calcarit. Per &c.

Item

(a) *Varians lectio intulit in textum has voces* humanæ ſubſtantiæ.
(b) Subverſa *varians lectio*.

VI. *Item alia.*

Da quæſumus, omnipotens Deus, illuc ſubſequi tuorum membra fidelium, quo caput noſtrum, principiumque præceſſit. Per &c.

Verè dignum. In hac die, qua Jeſus Chriſtus, Filius tuus, Dominus noſter, divini conſummato fine myſterii, diſpoſitionis antiquæ munus explicuit; ut ſcilicet & Diabolum cæleſtis operis inimicum, per hominem, quem ſubjugarat, elideret, & humanam reduceret ad ſuperna dona ſubſtantiam. Per &c.

Tribue, quæſumus, Domine, ut illuc tendat Chriſtianæ noſtræ devotionis affectus, quò tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per &c.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter unigenitus Filius tuus unitum ſibi hominem noſtræ ſubſtantiæ in gloriæ tuæ dextera collocavit; ſed & memoriam &c.

Orationes pridie Pentecoſten.

Deus, qui ſi velis reddere, quod meremur, prius deficimus, quàm merita ſupplicia perferamus, quæſumus, abſolve noſtros placatus errores, &, ut poſſimus ad tua præcepta converti, copioſa propitiatione nos præveni. Per &c.

Clemens, omnipotens, & miſericors Deus, duritiam noſtri cordis averte, qua nos verbera multiplicata metuimus, nec tantis myſteriis collata dona ſentimus; & tua nobis inſpiratione concede, ut & delictis veniam poſtulemus, & gratias pro noſtra ſalvatione reddamus. Per &c.

Domine Deus noſter, cujus eſt prima cauſa miſerendi, qua nomen tuum timeamus & amemus: cordibus noſtris miſeratus infunde, ut quæ tibi non placent, refutantes, ſincera tibi voluntate ſubdamur. Per &c.

Parce, Domine, parce peccantibus; & ut ad propitiationem

nem tuam poſſimus accedere, Spiritum nobis tribue corrigendi. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Paſchale ſacramentum quinquaginta dierum voluiſti myſterio contineri, præſta, ut Gentium facta diſperſio diviſione Linguarum, ad unam confeſſionem tui nominis cæleſti munere congregetur. Per &c.

Supplices tuam, Domine, clementiam deprecamur, ut qui prævenis ſemper mala merita noſtra miſerendo: tibi (*a*) placita fieri piis actibus & jejuniis ſalubribus expiando. Per &c.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam ſauciata, medicinalis parſimoniæ ſtudio reformetur. Per &c.

Annue miſericors Deus, ut qui divina præcepta violando, Paradiſi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus acceſſum per tuorum cuſtodiam mandatorum. Per &c.

Adeſto, Domine, fidelibus tuis, adeſto ſupplicibus: & terreſtribus non deſeras adjumentis, quos cæleſtium rerum facis eſſe participes. Per &c.

Sacri nos, Domine, muneris operatio mundet & foveat, (*b*) renovet, & donis ſociet ſempiternis. Per &c.

Verè dignum. Qui, ut ad id, quod facta eſt, reparetur humana conditio, in uno eodemque homine ſuum cuique convenienter attribuis. Corpus alitur eſcis, anima jejuniis ſaginatur: niſi competentibus ſuſtentata cibis membra non ſerviunt: abſque continentia non viget mentis imperium. In qua diverſitate ſubſtantiæ ſic tuo moderamine nos gubernas, ut quia ſine his non poteſt conſtare, quibus refovetur alterutrum, hac temperie ſumi præcipias, qua utrumque vegetetur: ac ſimul alimonia carni non deſit, unde ſubſiſtat; & adſit obſervantia, unde mens polleat. Per &c.

Sa-

(a) *Rectius legendum* tibi placita facias.
(b) Renovet *redundat ex variante lectione*.

Sacris cæleſtibus, Domine vitia noſtra purgentur, ut muneribus tuis poſſimus ſemper aptari. Per &c.

Supplicem tibi, Domine, plebem placatus intende, & in tua miſericordia confidentem clementia largiore comitare; ut quia ſine te non poteſt omnino conſiſtere, tuis beneficiis temporalibus gubernetur, ut proficiat ad æterna. Per &c.

In Pentecoſten aſcendentibus à Fonte.

I.

Præſta nobis, ineffabilis & miſericors Deus, ut adoptio, quam in idipſum Sanctus Spiritus advocavit, nihil in dilectione terrenum, nihil habeat in confeſſione diverſum. Per &c.

Propitius, Domine, quæſumus, hæc dona ſanctifica, & hoſtiæ ſpiritalis oblatione ſuſcepta, noſmetipſos tibi perfice munus æternum. Per &c.

Verè dignum. Qui aſcendit ſuper omnes Cælos, ſedenſque ad dexteram tuam, promiſſum Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit: unde lætantes inter Altaria tua, Domine virtutum, hoſtias tibi laudis offerimus &c.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro his, quos ex aqua & Spiritu Sancto regenerare dignatus es, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum, quæſumus, placatus accipias, eorumque nomina adſcribi jubeas in libro viventium. Per &c

Communicantes, & diem Pentecoſten ſacratiſſimum celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apoſtolos, plebemque credentium præſentia ſuæ majeſtatis implevit: ſed & memoriam venerantes &c.

Benedic, Domine, & has tuas creaturas Fontis mellis & lactis; & pota famulos tuos ex hoc fonte aquæ vitæ perennis, qui eſt Spirirus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle, quemadmodum patribus noſtris Abraham, Iſaac, & Jacob .... introducere te eos in terram promiſſionis terram fluentem mle-

le & lacte. Conjunge ergo famulos tuos, Domine, Spiritui Sancto, ſicut conjunctum eſt hoc mel & lac, quo cæleſtis terrenæque ſubſtantiæ ſignificatur unitio in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Per quem hæc omnia &c.

Da nobis, quæſumus, Domine, per gratiam Spiritus Sancti novam tui Paracliti ſpiritalis obſervantiæ diſciplinam, ut mentes noſtræ ſacro purgatæ jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per &c.

In jejunio Quarti Menſis.

Concede nobis, Domine, præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare jejuniis; ut contra ſpiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per &c.

Deus, cujus myſteriis mundamur & paſcimur: præſta, ut eadem ſic temporaliter celebramus, ut nobis experiamur æterna. Per &c.

Præſumtio & Reparatio primi hominis.

Verè dignum. Qui poſt illud ineffabiliter inſtitutum Divinæ humanæque naturæ conſortium, Sponſi filios uſque ad ejus abſceſſum non poſſe jejunare præmonuit; ne rudes animos parvulorum, ſupernis eruditionibus imbuendos, oneraret auſterioribus diſciplinis, ſed proficientibus exercitia majora ſervaret: quibus, uberiore dono Spiritus Sancti ſufficienter inſtructis jejunii ſubſequentis primitias dedicavit; ut quia poſt creationem primi hominis initium peccati concupiſcentia miniſtrarat, poſt reparationem generis humani continentia fieret origo virtutum. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Paſchalis ſolemnitatis arcanum hodierni myſterii plenitudine perfeciſti: da, quæſumus, ut Filii tuæ adoptionis effecti, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad te veniens dereliquit, mereantur pacem. Per &c.

Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, ut Sancto ſpiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur. Per &c.

Ho-

Hoſtias Populi tui, quæſumus, Domine, miſeratus intende; & ut tibi reddantur acceptæ, conſcientias noſtras Sancti Spiritus ſalutaris adventus emundet. Per &c.

Verè dignum. In die ſolemnitatis hodiernæ; quo humanam de varia ſuperſtitione ſubſtantiam ſpiritu veræ perficis Religionis unitam. Per &c.

Adeſto, Domine, quæſumus, Populo tuo, & quem myſteriis cæleſtibus imbuiſti, ab hoſtium furore defende. Per &c.

In Dominicum Pentecoſten.

Adeſto, Domine, precibus noſtris, ut adoptio, quam in idipſum &c.

Propitius, Domine, quæſumus, hæc dona ſanctifica &c.

Verè dignum. Hæc tibi noſtra confeſſio, Pater gloriæ, ſemper accepta ſit, de cordibus filiorum promiſſionis emiſſa; quia nihil ſublimius collatum Eccleſiæ tuæ probamus exordiis, quam ut Evangelii tui præconia linguis omnium credentium ora loquerentur; ut & illa ſententia, quam ſuperbæ quondam Turris extructio meruit, ſolveretur, & vocum varietas ædificationi Eccleſiaſticæ non difficultatem faceret, ſed augeret potius unitatem. Per &c.

Contra inimicos Catholicæ profeſſionis.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & ſicut profanas Mundi caligines Sancti Spiritus luce evacuaſti; ſic hoſtes Romani nominis, & inimicos Catholicæ profeſſionis expugna. Per &c.

Contra Impetitores.

I.

Deus, qui vaſtatoris antiqui perfidiam virtute Filii tui & Sancti Spiritus deſtruendo, dediſti nobis de captivitate victoriam: concede, quæſumus, ut qui nos impetere moliuntur, potentiæ tuæ dextera conterantur. Per &c.

Accipe, quæſumus, Domine, munus oblatum; & dignanter operare, ut quod myſteriis agimus, piis effectibus celebremus. Per &c.

Verè dignum. Clementiam tuam ſuppliciter exorantes; ut ſicut nobis æternæ ſecuritatis aditum Paſſione Domini Jeſu Chriſti, & Sancti Spiritus illuminatione reſeraſti; ſic etiam tranquillitatem vitæ præſentis indulgeas, per quam tanti doni particeps devotio quieta proficiat; & negligentia & error illatus, ad Fidei transferatur augmentum. Per &c.

II. *Item alia*.

Purificet nos, quæſumus, Domine, muneris præſentis oblatio, ut dignos ſacra participatione perficiat. Per &c.

(*a*) PRĀECESF̄.

Mentes noſtras, quæſumus, Domine, Sanctus Spiritus divinis præparet Sacramentis, quia ipſe eſt omnium remiſſio peccatorum. Per &c.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum Pentecoſten celebrantes, quo Apoſtoli, Apoſtolorumque Diſcipuli, omnium chariſmatum ſpiritalia dona ſumſerunt; ſed & memoriam venerantes &c.

Adſit nobis, Domine, quæſumus, virtus Spiritus Sancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur inimicis. Per &c

In jejunio Menſis Quarti.

Adeſto, Domine, ſupplicibus tuis, ut hoc ſolemne jejunium, quod animis corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum eſt, devoto ſervitio celebremus. Per &c.

Præſta, Domine, Deus noſter, ut contra omnes fremitus impiorum mentis puritate vincamus; & qui nos, in ſua confidentes virtute, moliuntur affligere, a nobis jejunantibus ſubjugentur. Per &c.

Offerimus tibi, Domine, quæ dicanda tuo nomine dediſti, ſuppliciter exorantes, ut ſicut eadem nobis efficis Sacramentum, ita fieri tribuas remedium ſempiternum. Per &c.

Verè

(a) *Fortè legendum* Preces Feriales.

Verè dignum. Poſt illos enim lætitiæ dies, quos in honorem Domini a mortuis reſurgentis, & in Cælos aſcendentis exegimus; poſtque perceptum Sancti Spiritus donum, neceſſarie nobis hæc jejunia ſancta proviſa ſunt; ut pura converſatione viventibus, quæ divinitus Eccleſiæ ſunt collata, permaneant. Per &c.

Refecti participatione muneris ſacri, quæſumus, Domine Deus noſter, ut cujus exſequimur cultum, Sentiamus effectum. Per &c.

Adeſto, Domine, Populis tuis, tua protectione fidentibus; & tuæ ſe dexteræ ſuppliciter inclinantes perpetua defenſione conſerva. Per &c.

Percipiant, quæſumus, Domine, vitæ præſentis auxilium, & gratiam reperiant ſempiternam. Per &c.

MENSE JUNIO.
VIII. Kalendas Julii.

Natale Sancti Johannis Baptiſtæ.

I.

Virtutum cæleſtium Deus, qui nos annua beati Johannis Baptiſtæ ſolemnia frequentare concedis, præſta, quæſumus, ut & ſecuris eadem mentibus celebremus, & eorum patrocinia promerente, plenè capiamus ſecuritatis augmentum. Per &c.

Ad offerenda munera, Domine, læti concurrimus, ſupplices implorantes, ut venerando gloriam Nuntiantis, ſumamus gratiam Nuntiati. Per &c.

Vere dignum. Exhibentes ſolemne jejunium, quo beati Johannis Baptiſtæ Natalitia celebramus: cujus genitor eum, Verbi Dei nuntium, dubitans naſciturum, vocis eſt privatus officio, & eodem recepit naſcente ſermonem: quique, Angelo promittente, dum non credit, obmutuit; magnifici præ-

conis

conis exortu & loquens factus eſt & Propheta: materque pariter ſterilis, ævoque, non ſolùm puerperio fœcunda proceſſit, ſed etiam, quo beatæ Mariæ fructum ſedula voce, (*a*) benedictione, ſuſciperet, ſpiritu Divinitatis impleta eſt; ipſeque progenitus, utpote viæ cæleſtis aſſertor, viam Domino monuit præparari; ſeraque in ſuprema parentum ætate concretus & editus, procreandum noviſſimis temporibus diſſeruit Redemtorem. Per &c.

Sanctorum tuorum nos, Domine, patrocinia collata non deſerant, quæ fragilitatem noſtram & precibus tueantur & meritis. Per &c.

Omnipotens & miſericors Deus, qui beatum Baptiſtam Johannem tua providentia deſtinaſti, ut perfectam plebem Chriſto Domino præpararet; da, quæſumus, ut familia tua hujus interceſſione Præconis, & a peccatis omnibus exuatur, & ad eum, quem prophetavit, pervenire mereatur. Per &c.

II. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, da cordibus noſtris illam tuarum rectitudinem ſemitarum, quam beati Baptiſtæ Johannis vox clamantis edocuit. Per &c.

Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius Nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem Mundi & cecinit adfuturum, & adeſſe monſtravit. Per &c.

Vere dignum. In die feſtivitatis hodiernæ, quo beatus ille Baptiſta Johannes exortus eſt, nondum terrena conſpiciens, cæleſtia jam revelans; lucis æternæ prædicator, priuſquam lumen temporale ſentiret; teſtis veritatis, antequam viſus; & ante Propheta quàm natus; maternis viſceribus latens, & Unigenitum Dei præſcia exſultatione prænuntians; Chriſtique tui, nondum genitus, jam præcurſor. Nec mirum, ſi Filium tuum, Domine, procreatus oſtendit, quem adhuc utero clauſus agnovit: meritoque inter natos mulierum nullus inventus eſt

(a) Benedictione, *varians lectio*.

eſt ſimilis, quia nulli hominum prorſus indultum eſt, ut exſequutor Divinitatis exiſteret, priuſquam vitam humanæ conditionis hauriret: ſatiſque firmatum, quàm eſſet mirabilis Nuntiatus, cujus tam inſignis Nuntius appareret; convenienterque pro lavacri miniſterio, quod gerebat, detulit famulatum perfecti Baptiſmatis myſterium conſecranti, & ad remiſſionem peccatorum, mortalibus conferendam, huic jure debitam reddidit ſervitutem, quem Mundi tollere dixerat veniſſe peccatum. Unde cum Angelis &c.

Beati Johannis Baptiſtæ nos, Domine præclara comitetur oratio; & quem venturum eſſe prædixit, poſcat nobis favere placatum. Per &c.

Magnis myſteriis incitata plebs tua, Domine, per viam ſalutis & pacis incedat, & beati Præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum, quem prædixit, ſecura perveniat. Per &c.

III. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam in beati Johannis generatione, promenda confeſſione ſacratæ tibi plebis inſtituis: auge nobis Fidei, pietatiſque conſtantiam, ut magis magiſque fateamur excellentiam Nuntiati, quum tanta ſit gloria Nuntiantis. Per &c.

Vota Populi tui, Domine, propitiatus intende; & quorum nos tribuis ſolemnia celebrare, fac gaudere ſuffragiis. Per &c.

Verè dignum. Quoniam merito huic inter hominum filios nemo prælatus eſt, quem ab exordio ſui, uſque in finem tot bonorum inſignibus, tot Chariſmatum ſplendoribus conſecraſti; decebat enim, ut ineffabile Domini ſacramentum, quod Prophetica voce prædixerat, viſibiliter etiam monſtraturus, ceteris ejus Nuntiis eminentior appareret. Unde cum Angelis &c.

Præſta, quæſumus, Domine ut ſicut de præteritis ad nova ſacramenta tranſimus, ita, vetuſtate depoſita, ſanctificatis mentibus innovemur. Per &c.

Bene-

Benedic, quæſumus, Domine, plebem tuam, & Sanctorum tuorum deprecationibus confidentem, tribue conſequi, quod ſperare donaſti. Per &c.

IV. *Item alia.*

AD FONTEM.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui inſtituta legalia, & ſanctorum præconia Prophetarum in diebus beati famuli tui Johannis, impleſti: præſta, ut ceſſantibus ſignificationum figuris, ipſa ſui manifeſtatione veritas eloquatur. Per &c.

Da, quæſumus, Domine, lumen intelligentiæ parvulis tuis, ut, pro veteris gratia Sacramenti præſentis Sacrificii gratia ſuccedente, ſi gloriemur novis, ut non abutamur antiquis Per &c.

Verè dignum. Quoniam plena ſunt omnia Sæcula miſericordia tua, quam, recurrentibus data lege temporibus, etiam in hujus diei feſtivitate veneramur: agnoſcentes ad magnum pietatis tuæ pertinuiſſe conſilium, ut Sanctus tuus Johannes, cujus Natalem ad nominis tui gloriam celebramus, tot donis mirabilis naſceretur. Per &c.

Annue, Domine, precibus noſtris, ut ſicut de præteritis ad nova ſumus ſacramenta translati: ita, vetuſtate depoſita, ſanctificatis mentibus innovemur. Per &c.

V. *Item alia.*

Deus, qui præſentem diem honorabilem nobis in beati Johannis Nativitate feciſti: da Populis tuis ſpiritalium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis & pacis. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tuis fidelibus contuliſti, ut ille, quo inter natos mulierum nullus eſt major, oriretur, & Unigeniti tui glorioſus Præcurſor exiſteret: providentiæ tuæ munus exſequere, ut quæ manifeſtavit teſtificatio Nuntii, impleat præſentia Nuntiati. Per &c.

Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, ſpiritalem

talem tibi, ſumme Pater, hoſtiam ſupplici ſervitute deferimus, quæ miro ineffabilique myſterio & immolatur ſemper, & eadem ſemper offertur; pariterque & devotorum munus, & remunerantis eſt præmium. Per &c.

Verè dignum. In die feſtivitatis hodiernæ, qua beatus Johannes exortus eſt, qui vocem Matris Domini nondum editus ſenſit, & adhuc clauſus utero, ad adventum ſalutis humanæ prophetica exſultatione geſtivit; qui & genetricis ſterilitatem conceptus abſterſit, & patris linguam natus abſolvit: ſoluſque omnium Prophetarum Redemtorem Mundi, quem prænuntiavit, oſtendit: & ut ſacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, ſanctificandis Jordanis fluentis ipſum Baptiſmatis lavit Auctorem. Unde cum Angelis &c.

Cæleſtis doni benedictione percepta, ſupplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis ſemper & Sacramenti cauſa ſit & ſalutis. Per &c.

Quos tuos efficis, Domine, tua pietate circumtege; & fragilibus Sanctorum omnium prætende ſubſidia; ut ad promiſſiones tuas, te inſpirante currant, te gubernante perveniant. Per &c.

In natali Sanctorum Johannis & Pauli.

I.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos idoneos non eſſe perpendis &c. (*a*)

Adjuva nos, Domine, tuorum prece Sanctorum &c.

Verè dignum. Qui non ſolùm debitum mortis antiquæ &c.

II. *Item alia.*

Sint tibi placita, Domine, Populi tui &c. (*b*)

Dicata nomini tuo munera, Domine &c.

Lib. IV. Par. III. E Verè

(a) *Inutili labore paginam heic implerem, ſi rurſus exſcribendas ſuſciperem Collectas & Præfationem, quæ ſupra legitur Menſe Aprili in Miſſa XXXIX. de communi Martyrum.*

(b) *Heic repetuntur Orationes & Præfatio Miſſæ XL. Menſe Aprili.*

Verè dignum. Qui ad majorem triumphum &c.

III. *Item alia*.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & ut digna &c. (*a*)

Verè dignum. Tui enim operis, Domine &c.

IV. *Item alia*.

Adeſto Domine, quæſumus, Eccleſiæ tuæ votis, adeſto muneribus; & quod conſcientia noſtra non ſupplet, Sanctorum tuorum interceſſio compenſet & meritum. Per &c.

Verè dignum. Quia mira ſunt opera juſtitiæ tuæ atque pietatis; quum vel a te devians homo diabolicæ ſubjicitur poteſtati, vel ad te per tuam gratiam remeans, non ſolùm jus infeſti dominatoris evadit; ſed in eum, ſicut probamus in Sanctis tuis, accipit tua virtute dominatum. Per &c.

Sancti tui, Domine, miſericordiam deprecentur; ut Sacramenta, quæ ſumſimus, & præſentis vitæ nobis remedia conferant & futuræ. Per &c.

Beatis Martyribus ſupplicantibus, Domine, fideles tuos propitiatus intende, ut munera collata cuſtodiant, & pie juſteque operata percipiant. Per &c.

Qui ſunt, Domine, tibi ſubjecti, benedictiones tuas, te largiente, percipiant, quas humili devotione indeſinenter exſpectant. Per &c.

V. *Item alia*.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ feſtivitatis excipiat, quæ de beatorum Johannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem Fides & paſſio fecit eſſe germanos. Per &c.

Hoſtias altaribus tuis, Domine, placationis imponimus, potentiam tuam in Sanctorum tuorum paſſionibus honorando, & per eos nobis implorando veniam peccatorum. Per &c.

Verè dignum. Quamvis enim tuorum merita pretioſa juſto-

(a) *Adhibentur heic denuo cum Præfatione Preces, quas habemus ſupra in Miſſa XLI. Menſis Aprilis*.

ſtorum, quocumque fideliter invocentur, in tua ſint virtute præſentia; potenter tamen nobis clementi providentia contuliſti, ut non ſolum paſſionibus Martyrum glorioſis Urbis iſtius ambitum coronares, ſed etiam in ipſis viſceribus Civitatis Sancti Johannis & Pauli victricia membra reconderes, ut interius exteriuſque cernentibus & exemplum piæ confeſſionis occurreret, & magnifice benedictionis non deeſſet auxilium. Per &c.

VI. *Item alia.*

Honor Martyrum beatorum deferre nos tibi munera, Domine fidenter hortatur; quia per eos nobis credimus profutura. Per &c.

Verè dignum. Fulget enim vox illa piiſſima Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua, Mundo ſubveniens, clementer prædixit: *Niſi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ex quo videmus uberem pullulaſſe toto Terrarum orbe ſationem, & de principali Cruce prodiiſſe glorioſarum ſegetem paſſionum; quia pro impiis ſervis ſanguinem ſuum Creator effundens, ut pro immaculato Domino famuli peccatores certatim morerentur, effecit. Propterea &c.

VII. *Item alia.*

Propitius, Domine, quæſumus oblationem noſtræ ſervitutis intende; & ut Sanctorum tuorum precibus commendetur, indulge. Per &c.

Verè dignum. Cujus inſpiratione ſuccenſi beati Martyres ad paſſionis gloriam cucurrerunt; non timentes, qui corpus occiderent, ſed eum, qui corpus, animamque mittere poterat in gehennam; atque ideo illos perſequutio ſæva non perdidit, ſed beata confeſſio ſublimavit. Per &c.

VIII. *Item alia.*

Oblata munera nomini tuo, Domine noſtræ ſanctificationi proficere, tuorum precibus concede Sanctorum. Per &c.

Verè dignum. Quia tuæ virtutis eſſe cognoſcimus, ut

Sancti tui, ſecundùm magnificam Domini noſtri Jeſu Chriſti cæleſtemque doctrinam, ſanctas animas odiendo diligerent, & non ſervando, potius cuſtodirent; hanc ſimul pietatis imitationem nobis & præſidium relinquentes. Per &c.

Da, quæſumus, Domine Deus noſter, ut ſicut tuorum commemoratione Sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aſpectu. Per &c.

Exſultet plebs tua, Domine, placitorum tibi fulta præſidiis, quibus & ſanctificationem referat, & ſubſidia propriæ fragilitatis acquirat. Per &c.

In natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

I.

Deus, qui hunc diem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti, da Eccleſiæ tuæ, toto Terrarum orbe diffuſæ, eorum ſemper magiſterio gubernari, per quos ſumſit Religionis exordium. Per &c.

Munera plebis tuæ, Domine, quæſumus, beatorum Apoſtolorum fiant grata ſuffragiis; ut pro quorum triumphis tuo nomini deferuntur, ipſorum digna perficiantur & meritis. Per &c.

Verè dignum. Qui ſecundum promiſſionis tuæ ineffabile conſtitutum, Apoſtolicæ confeſſioni ſuperna diſpenſatione largiris, ut in veritatis tuæ fundamine ſolidata nulla mortiferæ falſitatis jura prævaleant; & quantalibet exiſtat errantium multitudo, illi ſint redemtionis tuæ filii, & illis Eccleſia tota numeretur, qui ab electorum tuorum principali traditione non diſſonant. Per &c.

Conjunctio oblationis Virginum Sacratarum.

Hanc etiam oblationem, Domine, tibi Virginum ſacratarum, quarum ante Sanctum Altare tuum oblata nomina recitantur, quæſumus, placatus accipias. Pro quibus majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut propoſitum Caſtitatis, quod te auctore profeſſæ ſunt, te protectore, cuſtodiant. Per &c.

Item

II. *Item alia.*

Apoſtolorum tuorum precibus, Domine, quæſumus, plebis tuæ dona ſanctifica, ut, quæ tibi tuo grata ſunt inſtituto, fiant gratiora patrocinio ſupplicantium. Per &c.

Verè dignum. Teque laudare mirabilem Deum in Sanctis tuis, in quibus magnificatus es vehementer; per ipſos Unigeniti tui ſacrum corpus exornans, & in ipſis Eccleſiæ tuæ fundamenta conſtituens. Quorum beatiſſimum Petrum, gratiæ tuæ, electioniſque primitias, in Apoſtolicæ dignitatis culmen adſcitum, ita ad confitendum te Deum vivum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſecreta tui revelatione docuiſti; ut in cognoſcenda Unigeniti tui gloria nullis carnis & ſanguinis impediretur obſtaculis. Pro qua magiſtra omnium credentium fide, Confeſſorem tuum Cælorum clavibus præfeciſti, ut cui ad te per te fuerat acceſſus, per ipſum ceteris ad Regnum tuum pateret introitus. Huic quoque beatum Apoſtolum Paulum ad ſalutem Gentium non impari vocatione conſocias; quem magnis laboribus præparatum, gratia tua & mentem mutavit & nomen. Hujus igitur triumphi diem hodierna devotione celebrantes, hoſtias tibi, Domine, laudis offerimus, cum Angelis. &c.

III. *Item alia.*

Oblationes Populi tui, Domine, quæſumus Apoſtolorum tuorum paſſio beata conciliet; & quæ noſtris (*a*) minus, non aptæ ſunt meritis, fiant tibi placitæ tuorum deprecatione juſtorum. Per &c.

Verè dignum. Qui Eccleſiam tuam in tuis fidelibus ubique pollentem, Apoſtolicis facis conſtare doctrinis; ut per quos initium divinæ cognitionis accepit, per eos uſque in finem ſæculi capiat Regni cæleſtis augmentum. Per &c.

IV. *Item alia.*

Munus hoc, Domine, quæſumus, Apoſtolica pro nobis inter-

(a) Minus *varians lectio.*

interventio proſequatur, ut quod tremente ſervitio per nos vovemus oblatum eſt, eorum nobis precibus efficias Sacramentum. Per &c.

Verè dignum. Tu etenim tribuis, Domine, ut prædicationis Apoſtolicæ claritatem nulla juris inferni ſubdola doctrina ſubvertat, nulla prævaricatio veritatis offuſcet. Per &c.

Perceptis, Domine, ſacramentis, ſubdito corde rogamus & petimus, ut intervenientibus beatis Apoſtolis, quæ pro eorum celebrata ſunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per &c.

Gregem tuum, Paſtor bone, placatus intende; & per Apoſtolos tuos pervigili protectione, cuſtodi, ut iiſdem rectoribus gubernetur; quos eidem contuliſti (a) (præficiſti) operis tui Vicarios eſſe Paſtores. Per &c.

V. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ineffabili ſacramento jus Apoſtolici Principatus in Romani nominis arce poſuiſti, unde ſe Evangelica veritas per tota Mundi Regna diffunderet: præſta, ut quod in orbem terrarum eorum prædicatione manavit, Chriſtianæ devotionis ſequatur univerſitas. Per &c.

Præſta, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, Domine, de tantis digne gaudere Principibus, & illam ſequi pia devotione doctrinam, qua delectos tibi greges ſacris Myſteriis imbuerunt. Per &c.

Verè dignum. Quia non Mundi Reges & Proceres, non facundos aut divites, ſed abjectos & pauperes, ineruditos atque ignobiles elegiſti, quibus majeſtatis tuæ potentiam, & coæterni tibi Filii revelares arcanum; ut non poſſibilitatis humanæ, ſed doni probaretur eſſe divini; & quæ præcipua videbantur in Sæculo, abſque te Deo monſtrarentur inania; & quælibet inania, per te docerentur eſſe ſublimia: quum, ita diſpenſante virtute, non de glorioſis humilia, ſed de humilibus glorioſa

(a) Præfeciſti *varians lectio in textum admiſſa*.

rioſa penderent; & ille quondam Petrus piſcator exiguus, repente factus Apoſtolus, non potentibus ſubjaceret, ſed eos potius ſalubri rete concluderet; nec cuiquam eſſet ambiguum, in ſecreta beatitudine collocatum, jus habere dimittendi delicta mortalium, cujus meritum cerneret toto Orbe venerandum regnare poſt mortem. Beatum quoque Apoſtolum Paulum, Domine, ſimili dignatione glorificas; qui dejectus in terris, levatur in cælum, captus oculis corporalibus, lucem vidit æternam; atque uno eodemque modo contumax tuus & vindictam ſenſit & gratiam: tantaque felicior ultione, particeps divinorum gaudiorum meruit eſſe poſt pœnam. Per &c.

VI. *Item alia.*

Offerimus tibi, Domine, preces & munera: quæ ut tuo ſint digna conſpectu, beatorum Apoſtolorum tuorum precibus adjuventur. Per &c.

(*) Verè dignum. Qui Eccleſiam tuam, in Apoſtolica ſoliditate fundatam, ab infernarum eruis terrore portarum; ut in tua veritate conſiſtens, nulla recipiat conſortia perfidorum. Per &c.

VII. *Item alia.*

Quæ tuo nomini, Domine, ſunt dicata, quæſumus, Eccleſiæ tuæ Principum commendet oratio. Per &c.

Verè dignum. Qui Eccleſiam tuam ſempiterna pietate non deſerens, per Apoſtolos tuos jugiter eam & erudis & protegis. Per &c.

VIII. *Item alia.*

(*a*) Apoſtolica pro nobis interventio, quæſumus, Domine, proſequatur munus oblatum: ut quod tremente ſervitio nos vovemus, ejus precibus efficiatur acceptum. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Tu enim tribuis, Domine, ut prædicationis &c.

Cele-

(*) *Hanc Præfationem converti in Collectam videbis infra in Miſſa XVII.*

(a) *Affinis eſt hæc Oratio alteri in Quarta Miſſa ſupra deſcriptæ.*

(b) *Repetitur heic Præfatio ſuperior Miſſæ IV.*

Celebratis, Domine, quæ pro Apoſtolorum tuorum beata paſſione peregimus, ipſorum, quæſumus, nobis fiant interceſſione ſalutaria, in quorum Natalitiis ſunt exſultanter impleta. Per &c.

Audi, Domine, Populum tuum tibi corde ſubjectum, & tuitionem mentis & corporis eidem, rogantibus Sanctis Apoſtolis tuis, præſta continuam.

IX. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem beatorum &c. (*a*)

Suſcipe, Domine, munera plebis tuæ pro beatorum Apoſtolorum triumphis oblata; & quia noſtris meritis non eſt digna fiducia, placentium tibi precibus fiat grata devotio. Per &c.

Verè dignum. Quia tui eſt operis, tuæque virtutis, ut beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli glorioſa confeſſio nec capiatur tanquam falſis, nec perturbetur adverſis; ſed cæleſtis eruditio, ſicut per eos ab ipſa veritate ſuſcepta, poſteriſque mandata eſt, ita iiſdem ſuffragantibus intemerata perduret. Per &c.

X. *Item alia.*

Offerimus tibi, Domine, preces & munera &c. (*b*)

Verè dignum. Qui ineffabili Sacramento jus Apoſtolici Principatus &c. (*c*) *uſque* univerſitas: ſalubrique compendio; & hi, qui ab illorum tramite deviaſſent, haberentur externi, & tantummodo filii veritatis exiſterent, qui à principali nullatenus traditione diſcederent. Per &c.

XI. *Item alia.*

Poſt infirmitatem.

Verè dignum. Qui nos ideo temporalibus ſalubriter flagellas incommodis, quia æternarum rerum non vis ſubire diſpen-

(a) *Rurſus adhibetur heic, aliquibus additis, Oratio Miſſæ Primæ.*

(b) *Vide ſupra primam Collectam Sextæ Miſſæ.*

(c) *Quæ prima Collecta fuit Miſſæ quintæ, in Decima ſpeciem Præfationis aſſumit, additis in fine nonnullis, ut heic vides.*

pendium: & quoniam facilis eſt in ſecuritate prolapſus, malis potius præſentibus caſtigatos ad divina proficere, quàm mundana proſperitate permittis a ſempiternæ beatitudinis itinere deviare: per quæ providentiæ tuæ beneficia, cognoſcentes Apoſtolicis nos inſtitutionibus erudiri, diem glorioſæ paſſionis eorum ſubdito corde veneramur. Per &c.

XII. *Item alia.*

Quæſumus, Domine, Deus noſter, quæ in hoc Altari propoſita oculis tuæ majeſtatis offerimus, beatorum Apoſtolorum tuorum ſupplicationibus propitiatus aſſume. Per &c.

Verè dignum. Qui Eccleſiam tuam in Apoſtolica ſoliditate &c. (*a*)

(*b*) Peractis ſolemniter, Domine, quæ pro Apoſtolorum tuorum beata celebravimus paſſione, ipſorum, quæſumus, nobis fiant interceſſione ſalutaria, in quorum Natalitiis ſunt exſultanter impenſa. Per &c.

Audi, Domine, Populum tuum, tota tibi mente ſubjectum; & Apoſtolicam tuitionem ſupplici decerne propitiatus; ut corpore & corde protectus, quod pie credit, appetat, quod juſte ſperat, obtineat. Per &c.

XIII.

Munera, quæ deferimus, Domine, benignus aſſume, & quia noſtris impediuntur offenſis, Apoſtolorum tuorum precibus adjuventur. Per &c.

Poſt Infirmitatem.

Verè dignum. Nos enim temporalibus flagellas incommodis &c. (*c*) *uſque* deviare. Inter quæ præceptis nos Apoſtolicis, pariterque cognoſcimus præſidiis erudiri: & idcirco horum ſolemnia celebrantes, hoſtias tibi laudis offerimus. Per &c.

(a) *Præfatio Miſſæ VI. heic repetita.*

(b) *Paucis mutatis iterum ſe prodit Oratio hæc conſimilis Collectæ Miſſæ VIII.*

(c) *Vide ſupra in Miſſa XI. Heic autem perbreve additamentum legitur Præfationi in fine inſertum.*

Cæleſtibus refecti Sacramentis & gaudiis, ſupplices, Domine, te rogamus, ut, quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per &c.

Gregem tuum, Paſtor bone, &c. (*a*)

XIV. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, da Populis tuis præcipuorum Apoſtolorum Natalem diem plena devotione venerari; ut quorum doctrinis ad confeſſionem Deitatis unius inſtitutus eſt Mundus, eorum ſuffragantibus meritis divinæ ſerviat unitati. Per &c.

Eccleſiæ tuæ, quæſumus, Domine, preces & hoſtias Apoſtolica commendet oratio, ut quod pro illorum gloria celebramus, nobis proſit ad veniam. Per &c.

Verè dignum. Qui ſecundùm promiſſionis tuæ inviolabile conſtitutum, Apoſtolicæ confeſſioni &c. (*b*) *uſque* diſſonant: ipſaque ſit ſacri corporis ubique vera compago, quæ, te diſpenſante, devota obſequitur, quidquid Sedes illa cenſuerit, quam tenere voluiſti totius Eccleſiæ principatum. Per &c.

(*c*) Perceptis, Domine, Sacramentis ſupplices te rogamus, ut, intercedentibus beatis Apoſtolis, quæ pro illorum veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam. Per &c.

Familiam tuam, Domine, propitius intuere, & Apoſtolicis defende præſidiis; ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur, te conſtituente, Principibus. Per &c.

XV. *Item alia.*

(**) Omnipotens ſempiterne Deus, qui fragilitati noſtræ con-

(a) *Hæc item habetur ſupra in Miſſa ſub numero IV.*

(b) *Eadem eſt ac Præfatio Miſſæ Primæ, niſi quod aliqua heic in fine ſubjunguntur.*

(c) *Non ſenſu ſed verbis differt aliquantulum hæc Oratio ab ea, quam ſupra deſcripſimus in Miſſa ſub num. IV.*

(**) *Heic revocatur Collecta in Miſſa XXXVIII. Menſe Aprili, de Communi Martyrum.*

conſulens, aſſidua nos Sanctorum celebritate ſolaris: da nobis, ſub Patronis talibus conſtitutis, & continua ſecuritate muniri, & ſalutari gaudere profectu. Per &c.

(*a*) Grata tibi munera noſtra ſint, Domine, quæ & tuis ſunt inſtituta præceptis, & Sanctorum feſtivitas glorioſa commendat. Per &c.

Verè dignum. Qui inter errorum caligines mundanorum luminaria multiplicis beatique martyrii coruſcare tribuiſti, ut in conſpectu generis humani mirabilis appareret in eorum agone mutatio, qua prævalendo deficiunt perſequentes, & deficiendo prævalent interemti; quo illorum ſævientium memoria ac poteſtas evanuit, horum obeuntium mors ubique pretioſa fulget & nomen; illorum nulla ſuperſunt Regiæ poteſtatis inſignia, iſtorum virtutem monſtrat effectus; & quid de utriſque geratur, non ſolùm Fide cernitur, ſed etiam viſibiliter approbatur. Per &c.

(*b*) Quæſumus, Domine Deus noſter, ut intervenientibus Sanctis tuis, ſacroſancta myſteria, quæ frequentamus actu, ſubſequamur & ſenſu. Per &c.

(*c*) Adeſto, Domine, Populo tuo, cum Sanctorum tuorum patrocinio ſupplicanti, ut quod propria fiducia non præſumit, ſuffragantium meritis conſequatur. Per &c.

XVI. *Item alia.*

Deus, qui Eccleſiæ tuæ in ſanctis montibus fundamenta poſuiſti: da, ut nullis errorum ſubruatur incurſibus, nulla Mundi perturbatione quatiatur; ſed Apoſtolica ſemper & inſtitutione ſit firma, & interventione ſecura. Per &c.

Offerimus Sacrificium, Domine, quod pro reverentia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli majeſtati tuæ jugiter & reddimus & debemus. Per &c.

F 2 Verè

(a) *Rurſus quoque aſſumitur alia Oratio ejuſdem Miſſæ XXXVIII.*

(b) *Hæc autem conſonat cum alia Collecta ad prælaudatam Miſſam XXXVIII.*

(c) *Similiter claudit hæc agmen Orationum Miſſæ XXXVIII. de Communi plurimorum Martyrum Menſe Aprili.*

Verè dignum. Apud quem, quum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli continuata feſtivitas, æterna celebritas, & triumphi cæleſtis perpetuus ſit Natalis; nos tamen beatæ confeſſionis initia recolentes frequenti tribuis devotione venerari, ut crebior honor, impenſus ſacratiſſimæ paſſioni, majorem nobis proſit ad gratiam. Per &c.

Beatorum Apoſtolorum, Domine, quæſumus, interceſſione nos adjuva, pro quorum ſolemnitate percepimus tua ſancta lætantes. Per &c.

Adeſto, Domine, fidelibus tuis, nec eos ullis mentis & corporis patiaris ſubjacere periculis, quos beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli munit glorioſa confeſſio. Per &c.

XVII. *Item alia*.

(*a*) Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam in Apoſtolica ſoliditate fundatam ab infernarum eruis terrore portarum, præſta, ut in tua veritate perſiſtens, nulla recipiat conſortia perfidorum. Per &c.

Quæ in hoc altari propoſita, Domine, oculis tuæ majeſtatis offerimus &c. (*b*)

Poſt infirmitatem.

Verè dignum. Qui nos ideo temporalibus ſalubriter flagellas incommodis &c. (*c*)

Æternæ pignus vitæ capientes, humiliter imploramus, ut Apoſtolicis fulti patrociniis, quod in imagine gerimus, Sacramenti manifeſta perceptione ſumamus. Per &c.

Tuere, Domine, plebem tuam, & beatorum Apoſtolorum defende ſubſidiis Tui famuli famulæque ſunt, Domine, tibique ſubjecti. Benedictiones tuas jugiter aſſequantur, quas ſuppliciter & indeſinenter expectant. Per &c.

Item

(a) *Præfatio in Miſſa num. VI. ſupra exarata, in Orationem heic immutatur*.

(b) *Vide paulo ſupra in Collecta Miſſæ XII.*

(c) *Habes hanc Præfation. ad Miſſam XI. & XIII.*

XVIII. *Item alia.*

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuorum nos tuere præſidiis, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis. Per &c.

Suſcipe, quæſumus, Domine, munera plebis tuæ, quæ pro beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli natalitiis obtulerunt; & eorum tibi placita meritis propitius eſſe concede. Per &c.

Verè dignum. Qui Eccleſiam tuam ſempiterna pietate &c.

Sumto, Domine, Sacramento, beatis Apoſtolis intervenientibus deprecamur, ut, quod temporaliter gerimus, capiamus æternum. Per &c.

Protege, Domine, Populum tuum, & Apoſtolorum patrocinio confidentem perpetua defenſione conſerva. Per &c.

XIX. *Item alia.*

F̄ Ē SP̄

(*a*) Omnipotens ſempiterne Deus, da Populis tuis præcipuorum &c.

(*b*) Verè dignum. Quia tui operis tuæque virtutis eſt, ut beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli glorioſa confeſſio, cujus annua vota celebramus, nec capiatur umquam falſis, nec perturbetur adverſis; ſed ut potius tui corporis ubique devota compago, te diſpenſante, ſuſcipiat, quod Sedes illa cenſuerit, quam tenere voluiſti totius Eccleſiæ Principatum. Per &c.

Concede, quæſumus, Domine, beatos Apoſtolos tuos intervenire pro nobis; ita enim nos ſalvari poſſe confidimus, ſi eorum precibus Eccleſia gubernetur, quibus utitur, te conſtituente, Principibus. Per &c.

Perceptis, Domine, Sacramentis, ſubdito corde &c.

Item

(a) *Vides heic iterari Collectam ſuperioris Miſſæ ad num. XIV.*

(b) *Hæc conſtat duabus Præfationibus. In prima parte reſumitur Præfatio, quæ ſupra legitur in Miſſa num. IX. In ſecunda parte connectitur Præfatio præcedentis Miſſæ num. XIV.*

XX. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos eorum multiplici facis celebritate gaudere, quorum noſtræ fragilitati patrocinia contuliſti: da quæſumus, ut illorum ſæpius iterata ſolemnitas noſtræ ſit tuitionis augmentum. Per &c.

Hoſtias Populi tui, Domine, propitius intuere: ut quod noſtra fiducia non meretur, per eos, quos nobis conſtituiſti Præſules, inceſſabiliter largiaris. Per &c.

Verè dignum. Qui ut hanc Sedem regimen Eccleſiæ totius efficeres, & quod hæc prædicaſſet, oſtenderes ubique ſervandum, ſimul in ea & Apoſtolicæ Principem dignitatis, & Magiſtrum gentium collocaſti. Per &c.

Repleti benedictione cæleſti, ſuppliciter (*a*) imploramus, ut quæ fragili celebramus officio, per beatos Apoſtolos tuos nobis prodeſſe ſentiamus auxilio. Per &c.

Protector in te ſperantium, Deus, reſpice Populum ſupplicantem, & Apoſtolico interveniente ſuffragio, perfice miſeratus pia deſideria ſingulorum. Per &c.

XXI. *Item alia*.

Placatus; quæſumus, Domine, quidquid pro peccatis meremur, averte; nec apud te delicta noſtra prævaleant, ſed miſericordia tua ſemper exorta prævincat. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Apoſtolorum merita ſub una tribuiſti celebritate venerari, quæſumus, ut celerem tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiaris. Per &c.

In Jejunio.

Munera, Domine, tuæ glorificationis offerimus, quæ tibi pro noſtris grata jejuniis, eorum, quæſumus, deprecatio, quorum ſolemnia celebramus, efficiat. Per &c.

Verè dignum. Qui in montibus ſanctis cæleſtis Hieruſalem

(a) *Deeſt* τὸ Domine. *Abundat* τὸ fragili, *niſi fortè aliud epithetum ſubroges*.

lem fundamenta poſuiſti, quæ duodecim ſolidata lapidibus Apoſtolorum, chorum Eccleſiæ tuæ ſpiritali conſtructione declarat: oſtendens nobis, & in Trinitate quadriformis Evangelii conſtare myſterium, & in unoquoque Evangeliorum Trinitatis plenitudinem contineri; ſimulque fragilitati noſtræ, per tuam gratiam, fuiſſe proviſos hujus diſpenſationis magiſtros, ſuffragatores, & Præſules; ut ſacri muneris venerabile ſacramentum nihil amplius, nihil minus, noſſemus eſſe quærendum. Per &c.

Sanctificati, Domine, ſalutari myſterio, quæſumus, ut pro nobis eorum non deſit oratio, quorum nos donaſti patrocinio gubernari. Per &c.

Præſta Populo tuo, Domine, quæſumus, conſolationis auxilium; & diuturnis calamitatibus laborantem reſpirare concede. Da veniam peccatis, & cor ejus ab iniquitate cuſtodi; ut quia humana fragilitas inceſſabiliter meretur offenſam, intervenientibus Sanctis tuis, indulgentia lapſis continuata ſubveniat. Per &c.

XXII. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti: da, Eccleſiam tuam toto Terrarum orbe diffuſam, eorum ſequi pia devotione doctrinam, per quos ſumſit Religionis exordium. Per &c.

Præſta, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, Domine, de tantis &c. (*a*)

XXIII. *Item alia.*

P SP F E

Apoſtolorum, Domine, beatorum Petri & Pauli deſiderata ſolemnia recenſemus. Præſta, quæſumus, ut eorum ſupplicatione muniamur, quorum regimur principatu. Per &c.

Munera tibi, Domine, lætantes offerimus, quæ beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Natalitiis, pro nobis interce-

(a) *Uti ſupra in ſecunda Collecta Miſſæ V.*

tercedentibus, confidimus profutura. Per &c.

Verè dignum. Qui prævidens, quantis noſtra Civitas laboratura eſſet incommodis, Apoſtolici roboris in eadem præcipua membra poſuiſti. Sed o felix, ſi tuos Præſules, Roma, cognoſceres, & tantos digne ſtuderes celebrare Rectores! Nulli te hoſtes impeterent, nulla prorſus arma terrerent, ſi eorum famulata doctrinis veraciter atque (*a*) veraci fidelique propoſito, fideliter eos propoſito Chriſtianæ ſinceritatis ambires; quum tibi ſufficienter appareat, quæ benemeritis dona conferrent, qui tuentur etiam peccatores. Per &c.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut, qui noſtris fatigamur offenſis, ſacris myſteriis expiemur; & qui merito noſtræ iniquitatis affligimur, Apoſtolicis ſatisfactionibus protegamur. Per &c.

Eſto, Domine, plebi tuæ ſanctificator & cuſtos, ut Apoſtolicis gubernata (*b*) munita, præſidiis, & converſatione tibi placeat, & ſecura deſerviat. Per &c.

XXIV. *Item alia*.

Largiente te, Domine, beati Petri & Pauli natalitium nobis lumen effulſit. Concede, quæſumus, ut hodierna gloria paſſionis, ſicut illis magnificentiam tribuit ſempiternam, ita nobis perpetuum munimen operetur. Per &c.

Oblatio tibi, Domine, votiva defertur. Precamur, ut pariter ad laudem tui nominis, & Apoſtolicæ reverentiam dignitatis, & ad noſtrum proveniat ſanctificata præſidium. Per &c.

Verè dignum. Quoniam beatus Petrus & Paulus Apoſtoli tui, quod in lacrymis ſeminarunt, in gaudio metere nunc probantur. Et qui euntes ibant & flebant, non morte perterriti, ſed ut beatæ perciperent plenitudinem paſſionis, glorioſi ſanguinis ſemina pretioſa mittendo, venientes ecce nunc veniunt in

(a) Veraci fideliqne propoſito, *varians lectio in textum illata*.
(b) Munita, *varians lectio*.

in exſultatione totius Eccleſiæ, fructum victoriæ ſempiternæ, & præſentibus referentes præmiis & futuris. Per &c.

XXV. *Item alia.*

Apoſtolorum tuorum precibus, Domine, plebis tuæ dona ſanctifica, &c. (*a*)

P̄ F̄ Ē S̄P

Hoſtias, Domine, quas nomini tuo ſacrandas offerimus, Apoſtolica proſequatur oratio, per quam nos expiari tribuis & defendi. Per &c.

Verè dignum. Tui enim muneris, tuæque virtutis eſt &c. (*b*)

Beatorum Apoſtolorum, Domine, quæſumus, interceſſione &c. (*c*)

Adeſto, Domine, fidelibus tuis &c. (*d*)

XXVI. *Item ad Sanctum Paulum.*

Apoſtolico, Domine, quæſumus, beatorum Petri & Pauli patrocinio nos tuere, & eoſdem, quorum tribuiſti ſolemnia celebrare, ſecuros fac noſtros ſemper eſſe cuſtodes. Per &c.

Munera ſupplices, Domine, tuis altaribus adhibemus, quantùm de noſtro merito formidantes, tantùm beati Petri & Pauli, pro quorum ſolemnibus offeruntur, interceſſione confiſi. Per &c.

Verè dignum. Cujus providentia doniſque conceſſum eſt, ut feſtivitatem nobis annuam beatorum Petri & Pauli triumpho præſtet inſignem, par Mundo venerabile, Apoſtolatus ordine primus & minimus, ſed gratia & paſſione particeps: hic Princeps Fidei confitendæ, ille intelligendæ clarus aſſertor: hic Chriſtum, Filium Dei vivi, pronuntiavit divinitus inſpiratus; ille hunc eumdem, Verbum, Sapientiam Dei, atque

(a) *Vide ſupra primam Collectam Miſſæ ad num. II.*
(b) *Habes hanc Præfationem ſupra in Miſſa num. VI.*
(c) *Hanc legimus ſupra in Miſſa ad num. XVI.*
(d) *Ibidem ſequitur quoque hæc Oratio.*

atque Virtutem, vas factus electionis adſtruxit: hic Iſraeliticæ delibationis inſtituens Eccleſiam primitivam, ille Magiſter & Doctor Gentium vocandarum; ſic, diſpenſatione diverſa, unam Chriſti familiam congregantes, tempore licèt diſcreto, recurrens una dies, in æternum & una corona ſociavit. Per &c.

XXVII. *Item alia*.

Intende, precamur, Altiſſime, vota, quæ reddimus; & tibi placita fieri, eorum precibus, pro quorum deferuntur honore, concede. Per &c.

Verè dignum. Suppliciter exorantes, ut gregem tuum, Paſtor æterne non deſeras, & per beatos Apoſtolos continua protectione cuſtodias, ut iiſdem rectoribus dirigatur, quos operis tui Vicarios contuliſti præeſſe Paſtores. Per &c.

XXVIII. *Item alia*.

Solemnitatis Apoſtolicæ multiplicatione gaudentes, clementiam tuam deprecamur, omnipotens Deus, ut tribuas jugiter, nos eorum confeſſione benedici, & patrociniis confoveri. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine Deus noſter, & Apoſtolorum natalitia nos tuorum continua devotione venerari, & in ſuis crebrius honorare principiis. Per &c.

Populi tui, Deus, inſtitutor & rector, peccata, quibus impugnatur, expelle; ut ſemper & tibi placitus, & tuo munimine ſit ſecurus. Per &c.

MEN-

MENSE JULIO.
VI. Iduum Juliarum.

Natale Sanctorum Martyrum Felicis, Philippi, in Cœmeterio Priſcillæ.
Vitalis, & Martialis, & Alexandri in Cœmeterio Jordanorum.
Et Silani, in Cœmeterio Maximi, Via Salaria.
Et Januarii, in Cœmeterio Prætextati, Via Appia.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & intervenientibus Sanctis tuis, preces noſtras placatus admitte. Per &c.

Suſcipe, Domine, propitius oblationes noſtras, & tuorum deprecatione Sanctorum, pietati tuæ perfice benignus acceptas. Per &c.

Beatorum Martyrum tuorum nos, Domine, precibus & interceſſione defende; ut qui noſtræ conſcientiæ fiduciam non habemus, placentium tibi meritis protegamur. Per &c.

Suſcipe, quæſumus, Domine, tuorum munera famulorum, quæ intercedentibus Sanctis tuis, proſint nobis & ad piæ devotionis officium, & ad tuæ ſanctificationis effectum. Per &c.

Repleti, Domine, benedictione cæleſti, Sanctorum tuorum concede ſuffragiis, ut quæ humiliter gerimus, ſalubriter ſentiamus. Per &c.

Deus, qui nos Sanctorum tuorum & ſolemnitate lætificas, & imitatione ſuſcitas ad profectum, præſta, ut quos veneramur officio, etiam piæ converſationis ſequamur exemplo &c.

In Jejunio.

Sint tibi, quæſumus, Domine, noſtri munera grata jejunii, quia tunc eadem in Sanctorum tuorum digna commemoratione deferimus, ſi & actus illorum pariter ſubſequamur. Per &c.

Verè dignum. Quia tu es mirabilis in omnibus Sanctis tuis, quos & nominis tui confeſſione præclaros, & ſuſcepta pro te feciſti paſſione glorioſos. Unde ſicut illi jejunando orandoque certarunt, ut hanc poſſent obtinere victoriam, ita nos potius, quæ exercuere, ſectantes, convenientius eorum Natalitia celebramus. Per &c.

Repleti, Domine, (a) munificentia gratiæ tuæ, benedictione copioſa, & pro noſtræ ſervitutis obſequiis, & pro celebritate Sanctorum, cæleſtia dona ſumentes, gratias tibi referimus. Per &c.

Familiam tuam, Domine, ſupplicantem oculis tuæ miſerationis intende; ut quæ, te inſpirante, depoſcit, Sanctorum Martyrum patrocinio conſequatur. Per &c.

II. *Item alia*.

Protector noſter aſpice, Deus, & miſericordiam tuam humiliter implorantes clementer exaudi. Per &c.

Ad humilitatis noſtræ preces, Domine, placatus intende: nec nos in foveas & Diaboli laqueos patiaris incidere, quos tantis Sanctorum Martyrum præſidiis munire dignaris. Per &c.

Omnipotens & miſericors Deus, qui nos Sacramentorum tuorum & participes efficis & miniſtros: præſta, quæſumus, ut in iisdem proficiamus & Fidei conſortio & digno ſervitio. Per &c.

Verè dignum. Qui nos ideo frequentibus Sanctorum Martyrum feſtivitatibus benignus exerces, ut ad conſtantiam Fidei, & ad perſeverantiam Pietatis beata commemoratione perducas: pariter nobis in eorum contemplatione conſtituens & ſalutiferæ confeſſionis exemplum, & copioſæ protectionis auxilium: atque ad ſpem noſtræ per eos promiſſionis invitans, quorum adhuc latentem gloriam jam tamen etiam in hujus vitæ regione manifeſtas. Per &c. Domi-

(a) *Alicui redundantia fortaſſe videbuntur verba* munificentia gratiæ tuæ,

Domine Deus noſter, multiplica ſuper nos gratiam tuam; & quorum celebramus glorioſa certamina, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione victoriam. Per &c.

Erudi, Domine, quæſumus, Populum tuum ſpiritalibus inſtrumentis; & quorum præſtas ſolemnia venerari, fac eorum & conſideratione devotum, & defenſione ſecurum. Per. &c.

III. *Item alia.*

Præſta nobis, omnipotens & miſericos Deus, ut Sanctorum Martyrum tuorum copioſa victoria, ſicut eis perpetuum dat triunphum, ita nobis continuum præſtet auxilium. Per. &c.

Accipe, quæſumus, Domine, munera Populi tui pro Martyrum feſtivitate Sanctorum; & ſincero nos corde fac eorum Natalitiis intereſſe. Per. &c.

Verè dignum. Quia licèt in omnium Sanctorum tuorum tu ſis, Domine, provectione mirabilis; in his tamen ſpeciale tuum munus agnoſcimus, quos & fratres ſorte naſcendi; & magnifica præſtitiſti paſſione germanos; ut ſimul eſſet veneranda & gloria genitricis & florentiſſima proles Eccleſiæ. Per &c.

Cæleſti munere ſatiati, quæſumus, Domine Deus noſter, ut hæc nos dona, Martyrum tuorum deprecatione ſanctificent. Per &c.

IV. *Item alia.*

Da nobis, quæſumus, Domine, Sanctorum Martyrum paſſionibus gloriari; ut eorum ſemper & patrociniis confidamus, & Fidem congrua devotione ſectemur. Per &c.

Offerimus, Domine, munera tuorum tibi ſolemnitatibus grata Sanctorum, ſuppliciter exorantes, ut quod ad illorum pertinet gloriam, nobis proſit ad veniam. Per &c.

Verè dignum. Qui ſic tribuis, Eccleſiam tuam Sanctorum Martyrum commemoratione proficere, ut eam ſemper illorum & feſtivitate lætifices, & exemplo piæ confeſſionis exer-

exerceas, & grata tibi ſupplicatione tuearis. Per &c.

Et Sanctorum tuorum exſultatione gaudentes, & Sacramenti tui perceptione ſatiati, gratias tibi referimus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Per &c.

V. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in Sanctis tuis es ubique mirabilis, quæſumus clementiam tuam, ut ſicut illis eminentem gloriam contuliſti, ſic ad conſequendas miſericordias tuas eorum nos facias precibus adjuvari. Per &c.

Plebis tuæ munera, quæſumus, Domine, propitiatus intende; & quæ ſanctis myſteriis exſequendis temporaliter nos offerre docuiſti, ad æternam nobis proficere fac ſalutem. Per &c.

Verè dignum. Qui non ſolùm pro ſalute Mundi perſequutionem ſuſtinuit impiorum, ſed fidelibus ſuis etiam hæc dona conceſſit, ut ejus fierent aut paſſione, aut confeſſione conſortes. Per &c.

VI. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui inter innumera beneficia, Sanctorum tuorum nos ſolemnitatibus præcipue conſolaris; præſta, quæſumus, ut ad cæleſtis operis inſtituta, & recordatio beata nos incitet, & oratio Juſtorum digna perducat. Per &c.

Concede, quæſumus, Domine Deus noſter, ut inter adverſa, quæ peccatorum debitis ſuſtinemus, quod fiducia noſtra non obtinet, Martyrum tuorum nobis interceſſio conſequatur. Per &c.

Sanctis intervenientibus, Domine, tibi ſervitus noſtra complaceat; & obſequia munerum fiant præſidia devotorum. Per &c.

Verè dignum. Quoniam Martyrum beatorum pro confeſſione nominis tui venerabilis ſanguis effuſus, ſicut tua mirabilia manifeſtat, qui perficis in infirmitate virtutem, ita noſtris

ſtris ſtudiis dat profectum, & infirmis apud te præſtat auxilium. Per &c. (*a*)

VII *Item alia.*

Aſpice, quæſumus, Domine, quæ oculis tuæ majeſtatis offerimus; ut tuorum deprecatione Sanctorum & tuitionem nobis præbeant & medelam. Per &c.

Verè dignum. Congaudet namque totum corpus Eccleſiæ de ſublimium glorificatione membrorum; & quælibet ejus infirmæ portiones ad ſuam quoque pertinere non ambigunt dignitatem quidquid excellit partium in eadem compage magnarum; quia ſicut ſuperioribus ima connexa ſunt, ita ſumma debent humilibus unitatis effectum. Per &c.

Incipiunt Orationes & Preces diurnæ.

I.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nulli nos inferre mandaſti, quod nobis non optamus inferri: præſta, quæſumus, ut nec fingamus aliis, nec aliorum finctionibus illudamur. Per &c.

Deus, qui humani generis fida ſocietate lætaris, da, quæſumus, ut & nos liberam præbeamus omnibus caritatem, & illi non pro bonis mala reddere moliantur. Per &c.

Oblatio tibi, Domine, noſtra defertur, quæ ut tuo ſit digna conſpectu, te, quæſumus, largiente mentis noſtræ ſinceritate promatur. Per &c.

(*) Verè dignum. Qui nos ſpiritalibus erudiens inſtitutis, ſic doces illorum jugiter relaxare, qui nobis adverſantur, offenſas, ut in eorum non incidamus inſidias; ſic diſſimulare culpas, ut, ſub ſpecie gratiæ nocere cupientium, declinemus, in qua ſtudent perſeverare, malitiam. Tu, etenim, Domine, mit-

(a) *Heic rurſus adhibetur Præfatio, quam vidimus ſupra Menſe Aprili, ad Miſſam XXXII. de communi plurimorum Martyrum.*

(*) *In margine notatur:* Culpas relaxare fratri, corripere; etiam inquietos non omitti: ſicut ſcriptum eſt.

mittens in medium nos luporum, manere vis ſimplices ſimilitudine columbarum, & aſtutos fieri more ſerpentum: non utique, ut cuiquam noxii ſimus, ſed ut ſolicite dolos caveamus alienos. Ita mites ad omnes eſſe nos jubes, ut pariter corripere præcipias inquietos. Longe aliud quippe eſt contumeliam præterire, aliud, ne per improvidam benignitatem capiamur, intendere: quoniam & tua clementia ea lege noſtros reſolvit errores, ut nos denuo, ne deteriora ſubeamus, errare prohibeat, nec ſibi quiſquam aut non ceſſum judicet fuiſſe delictum, aut læſum ſe fortaſſis exiſtimet, ſi facultas eidem potius ſubtrahatur ſubſiciva lædendi, quum hoc ipſo magnum beneficium talibus conferatur, ut mali eſſe dediſcant, vel impoſſibilitate peccandi. Per &c.

Redemtionis noſtræ munere vegetati, quæſumus, Domine, ut hoc nobis perpetuæ ſalutis auxilium Fides ſemper vera perficiat. Per &c.

Salva, quæſumus, Domine, plebem tuam, & benedictionis ſanctæ ſuper eam effunde clementiam; ut inter conditionis humanæ & diabolicæ fraudis incurſus, indulgentia tua laboranti continuata ſuccurat. Per &c.

II. *Item alia*.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris; & ut nos ab hoſtibus dignanter eripias, à tibi non placitis prius moribus benignus emunda. Quia ſine dubitatione defendes, quos tuis perſpexeris convenire mandatis. Per &c.

Deus, qui prudentem ſinceramque concordiam tuorum cordibus ineſſe voluiſti, da nobis legitimæ dilectionis tenere menſuram; ut qui à juſtæ pacis puritate diſſentiunt, in nobis tamen, quod merito debeant lacerare, non habeant. Per &c.

Præſta nobis, quæſumus, Domine terrena deſpicere, & amare cæleſtia, ut per hæc ſacra, quæ gerimus, & à tranſituris deſideriis expiari mereamur, & incipiamus inhærere perpetuis. Per &c.

Verè

(*a*) Verè dignum. Qui ſic rationabilem non deſeris creaturam, ut & quibus modis placere tibi, & qualiter poſſit impetrare, quæ poſcit, oſtendas; præcipiens, ut te principaliter toto corde venerantes, conſequenter & univerſos homines, ſicut noſmetipſos, tamquam conſortes noſtri generis, diligamus; tunc circa eos verum probantes affectum, ut quemadmodum nos purgari deſideramus a vitiis, ita & eorum, quos amamus, optemus. Quibus præceptis duobus totam Legem ſine difficultate complentes, bona præſentia ſumamus & æterna. Per &c.

Da nobis, Domine, quæſumus, ambire, quæ recta ſunt, & vitare, quæ noxia; ut ſancta, quæ capimus, non ad judicium nobis, ſed proficiant potius ad medelam. Per &c.

Tuere, Domine, quæſumus, famulos tuos, & a terrenis erroribus expeditos, ad virtutum tuarum fac inſtituta proficere; ſicque temporalibus auxiliis foveantur, ut magis gaudeant ſempiternis. Per &c.

III. *Item alia*.

Eccleſiæ tuæ, Domine, voces placatus àdmitte, ut deſtructis adverſantibus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut toto tibi corde ſubjecti, tumentium voluntatum reſpuamus afflatus. Per &c.

Hoſtias, quæſumus, Domine, noſtræ devotionis aſſume; & per ſacrificia glorioſa, ſubditorum tibi corda purifica. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Cujus inſpiratione beatus Paulus Apoſtolus Eccleſiæ dicens: *providentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus*; evidenter oſtendit, non eſſe prorſus, quò malis actibus vel in hac vita poſſimus abſcondi: dum te non latemus interius, & extrinſecus humanos quoque non

(a) *Nota marginalis*: Pro dilectione fraterna orandum.
(b) *Nota marginalis*: Arguit improbos, ſed & orat pro eis.

vitamus aſpectus. Nihil ergo juvat eos, qui dedecora ſua notaſque non cernunt, & quia ipſi ſe non vident, æſtimant nec ab aliis ſe videri. Quum enim idem clamat Apoſtolus: *quæ ſecundùm faciem ſunt, videte*; quemadmodum ſe celare poſſe confidunt, qui, ſicut ſcriptum eſt, per dulces ſermones ſuos ſeducentes corda fallacia, & ſicut Evangelium ait, Chriſtum in cubile requirentes, palam manifeſteque declarant, quid & dictis exſequantur & factis. Nec eos fulcit aut munit, quia, ut ſe valere contendant, volumina divina percurrunt; quum per hæc ipſi potius improbos mores ſuos & profiteantur & damnent, neſcientes, jam de pœna divini venire judicii, quod traduntur in reprobum ſenſum, ut faciant, quæ non conveniunt. Quapropter hujuſmodi declinantes actu, & ſolo miſerantes, quo debemus affectu: & ideo &c.

Annue, quæſumus, Domine Deus noſter, ut per hoc tuæ ſapientiæ ſacramentum circumſpecta moderatione vivamus. Per &c.

Da Eccleſiæ tuæ, Domine, non ſuperbe ſapere, ſed tibi placita humilitate proficere: ut proterva deſpiciens, & matura quæque deſiderans, exerceat liberam caritatem. Per &c.

IV. *Item alia*.

Abſolve, Domine, quæſumus, iniquitates noſtras; & ut tua dona mereamur percipere, fac nos amare juſtitiam. Per &c.

Concede nobis, Domine Deus noſter, ut & te tota mente veneremur, & omnes homines rationabili diligamus affectu. Per &c.

Conſecra, quæſumus, Domine, quæ de terrenis fructibus nomini tuo dicanda mandaſti; ut & gratam tibi noſtram facias ſervitutem, & Sacramentum nobis perpetuæ ſalvationis inſtituas. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui fideles tuos mutua faciens lege con-

(a) *In margine Codicis adnotatur*: Orandum pro iis, qui malevoli ſunt.

concordes, veram pacem tali fœdere nexiſti, ut nec alteri quiſquam moliretur infligere, quod ſibi nollet inferri; & bona, quæ ſuis utilitatibus tribui cuperet à conſorte naturæ, hæc eidem ipſe quoque præſtaret: quatenus dum per alterutram pietatem ſe reperiunt communes in ſingulis, ſemetipſam diligens, eſſet mens una cunctorum. Per &c.

Satiati participatione cæleſti, & gratias tibi referimus, Domine Deus noſter, & ut nobis ſit perpetua, deprecamur. Per &c.

Beneficiis tuis, Domine, quæſumus, Populus fidelis ſemper exſultet; ut te inſtruente diſpoſitus & converſatione tibi placeat, & quæ votis expetit, ſalubriter aſſequatur. Per &c.

V. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus, tribue, quæſumus, ut non indignationem tuam provocemus elati, ſed propitiationis tuæ capiamus dona ſubjecti. Per &c.

(*a*) Majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut nec terreri nos lacerationibus patiaris injuſtis, nec captioſis adulationibus implicari: ſed potius amare concedas, qui veraciter arguunt, quàm qui fallaciter blandiuntur. Per &c.

Offerimus tibi, Domine, munus, quod ſicut duplici ſumentes corde condemnat, ita ſincera capientes mente juſtificat. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Qui nos ſic pietate pariter atque juſtitia vis eſſe perfectos, ut & cautelæ noſtræ non deſit ſocianda benignitas, & indiſcreta non ſubripiat facilitas caritati. Præcipis enim, ut pro noſtris oremus inimicis, pro calumniantibus ſupplicemus, nec deſinamus miſericordiam tuam perſequentibus impetrare; non utique ut in iiſdem nequitiis perſeverent, quia hoc imprecari eſt potius, quàm ſalutaria poſtulare;

(a) *Nota marginalis*: Contra lacerantes, vel adulantes.
(b) *Nota marginalis*: Orandum pro perſequentibus.

lare; ſed ut ab his iniquitatibus expediti, ad modeſta ſe ſe ſanaque convertant. Quum enim, docente te, Domine, probos mores nobis optare debeamus, tunc proximos noſtros, ſicuti noſmetipſos, verè diligimus, ſi eis, quæ nos habere cupimus, expetamus. Per &c.

Recreati, Domine, ſacri muneris guſtu, quæſumus, non inde ſumentibus nobis vertatur ad pœnam, ſed fideliter libantibus proſit ad veniam. Per &c.

Tua, Domine, protectione confidens, benedictionem ſuppliciter imploratam devota tibi familia conſequatur; ut tuo ſecura munimine, nec temporalibus deſtituatur auxiliis & bonis aptetur æternis. Per &c.

V I. *Item alia*.

Omnipotens & miſericors Deus, à bellorum nos, quæſumus, turbine fac quietos; quia bona nobis cuncta præſtabis, ſi pacem dederis & mentis & corporis. Per &c.

Protector noſter aſpice, Deus, & ab hoſtium nos defende formidine; ut omni perturbatione ſubmota, liberis tibi mentibus ſerviamus. Per &c.

Suſcipe, Domine, munera familiæ tuæ; quibus & noſtris, quæſumus, ſis placatus erroribus, & ſanctificationem tuæ nobis redemtionis opereris. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Agnoſcimus enim, Domine Deus noſter, agnoſcimus, ſicut Prophetica dudum voce teſtatus es, ad peccantium merita pertinere, ſervorum tuorum labore quæſita, ſub conſpectu noſtro manibus diripiantur alienis; & quæ deſudantibus famulis, naſci tribuis, ab hoſtibus patiaris abſumi. Totoque corde proſtrati ſupplices exoramus, ut præteritorum concedas veniam delictorum, & ab omni mortalitatis incurſu continuata miſeratione nos protegas. Quia tunc defenſionem tuam non diffidimus affuturam, quum a nobis;

(a) *Nota marginalis*: Pro peccatis hoſtes infeſtari, certiſſimum; unde enixius ſupplicandum Deo.

bis; quibus offendimus, dignanter expuleris. Per &c.

Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti refectione vegetati, ſupplices te rogamus, Deus, ut hoc remedio ſingulari, & ab omnium peccatorum nos contagione purifices, & à periculorum munias incurſione cunctorum. Per &c.

Miſerere, Domine, deprecantis Eccleſiæ, & ad inclinantes tibi ſua corda propitiatus intende, ut quos divinarum rerum ſinis eſſe participes, nec peccatis fieri permittas obnoxios, nec opprimi patiaris adverſis. Per &c.

VII. *Item alia.*

Miſerere, Domine, Populi tui; & continuis tribulationibus laborantem propitius reſpirare concede. Per &c.

Vox clamantis Eccleſiæ ad aures, quæſumus, Domine, tuæ pietatis aſcendat; ut percepta venia peccatorum, te fiat operante devota, te protegente ſecura. Per &c.

Nomini tuo, Domine, munera, quæſumus, dicata ſanctifica, ut & Sacramentum nobis æternæ vitæ præbeant & profectum. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Inter quælibet enim Mundi pericula ſola eſt à te non receſſiſſe proſperitas, quum in tua miſericordia confidentes nulla adverſa percellant, ſed potius exerceant ad ſalutem. Per &c.

Vivificet nos, quæſumus, Domine, participatio tui ſancta myſterii, & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per &c.

Auxiliare, Domine, plebi tuæ, & toto tibi corde ſubjectæ præſta converſationis effectum; quia bonis omnibus hanc replebis, ſi tibi placere perfeceris. Per &c.

VIII. *Item alia.*

Ab omnibus nos, quæſumus, Domine, peccatis propitiatus

(a) *In Margine*: In periculis vel proſperitatibus, gratias referendas Deo.

tiatus abſolve, & eos, qui nos impugnare nituntur, expugna. Per &c.

Comprime, Domine, quæſumus, os iniqua loquentium, & eos, qui nos moliuntur inſimulare, confuta. per &c.

Quæſumus, Domine, Deus noſter, ut per hæc cæleſtis vitæ commercia, declinantes laqueos falſitatum, ad veritatem tuam, conceſſa nobis divinitus via & tramite, dirigamur. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui famulos tuos informare dignaris, ut non tam nos exagitet inepta laceratio ſuperborum, quàm potius moveat miſeratio lacerantum. Quoniam, ſicut nos convenit præcavere, ne veraciter impetamur, ſic eorum, qui à veritate ſunt devii, flere debemus interitum; quæſumus, ut vel illis, correctionem ſuppliciter exorando, ſubvenire poſſimus, vel nobis fructum pietatis acquirere. Per &c.

Quos refeciſti, Domine, cæleſti myſterio, propriis alieniſque propitius abſolve delictis; ut divino munere purificatis mentibus perfruamur. Per &c.

Porrige dexteram, quæſumus, Domine, plebi tuam miſericordiam poſtulanti, per quam & errores declinet humanos, & ſolatia vitæ mortalis accipiat, & ſempiterna gaudia comprehendat. Per &c.

IX. *Item alia*.

Libera nos, Domine, quæſumus, à noſtrorum debitis peccatorum, atque, ut nos à malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates noſtras, quibus juſte retribuimur, abſolve. Per &c.

Contere, quæſumus, Domine, hoſtes Populi tui, & delicta noſtra, quorum merito nobis dominantur, emunda; ut quum tibi placitam puritatem mentibus noſtris infuderis, largiaris & pacem. Per &c.

Accipe, Domine, quæſumus, Sacrificium ſingulare; quod

(a) *In margine*: Pro lacerantibus orandum.

quod majeſtati tuæ ſemper & redditur & debetur. Per &c.

Sit nomini tuo, Domine, hoc Sacrificium, quum exhibetur, acceptum, ut efficiatur jugiter exigendum. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui nos caſtigando ſanas, & refovendo benignus erudis, dum mavis ſalvos eſſe correptos, quàm perire neglectos. Per &c.

Supplices te rogamus, Domine Deus noſter, ut qui percepimus cæleſtis menſæ ſubſtantiam, ad vitam pertingamus æternam. Per &c.

Tui ſunt, Domine, Populi, qui miniſterium noſtræ vocis expectant. Quæſumus clementiam tuam, ut ſalutaria ejus poſcentibus, quidquid fiducia non habet deprecantis, gratia tua, quæ bonorum noſtrorum non indiget, largiatur. Per &c.

X. *Item alia*.

Adeſto, Domine, ſupplicibus tuis, & ſperantes in tua miſericordia, cæleſti protege benignus auxilio. Per &c.

Reſpice, Domine, quæſumus, pietatis tuæ ſubſidium poſtulantes. Da indulgentiam reis, ut nobis ſubvenias propitiatus afflictis. Per &c.

Sanctificationem tuam nobis, Domine, his myſteriis placatus operare, quæ nos & à terrenis purget vitiis, & ad cæleſtia dona perducat. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Qui noſtras mentes expiando juſtificas, & immortalitatis efficis juſtificando capaces. Per &c.

Repleamur, Domine, gratia muneris ſacri; & quæ guſtu corporeo dulci veneratione contingimus, dulciora mentibus ſentiamus. Per &c.

Familiæ tuæ, Domine, preces miſeratus intende, & toto tibi corde ſubjectam proſequere, ſuſtenta, circumtege; ut quæ, te gubernatore confidit, & nullis implicetur malis, & bonis omnibus expleatur. Per &c.

Item

(a) *Nota marginalis*: Poſt infirmitatem.
(b) *In margine*: De juſtitia.

XI. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus viæ miſericordia eſt ſemper & veritas: præſta, quæſumus, ut qui à tua clementia confovemur, creſcamus etiam Religionis augmento. Per &c.

Da nobis, quæſumus Domine, tua digne tractare myſteria; ut & miſerationibus tuis congrua reſpondeamus obſequia, & fiducialius ſperanda poſcamus. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Pietatem tuam votis omnibus expetentes, ut humanarum rerum proſperitate percepta, terrenis eatenus conſolationibus gratulemur, ne gaudia quærere ſuperna ceſſemus; ſed quidquid lætitiæ temporali impenditur, eruditioni proficiat ſempiternæ. Per &c.

Quæſumus, Domine Deus noſter, quos Sacramentis reficis, ſuſtenta præſidiis, & quos beneficiis temporalibus refoves, paſce (*b*) (divinis) perpetuis. Per &c

Eccleſiam tuam, Domine, perpeti miſeratione proſequere, ut inter Sæculi turbines conſtituta & præſenti jucunditate reſpiret, & æternæ beatitudinis percipiat claritatem. Per &c.

XII. *Item alia*.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris; & Apoſtolicis interceſſionibus confidentes, nec minis adverſantium, nec ullo perturbemur incurſu. Per &c.

Auxiliare, Domine, temporibus noſtris, ut tua nos ubique dextera protegente, & Religionis integritas, & Romani nominis ſecuritas reparata conſiſtat. Per &c.

Supplices quæſumus, Domine, ut munus trepida ſervitute propoſitum, non de noſtris meritis æſtimetur, ſed quod à te inſtitutum eſt, offerentium tua ſanctificetur dignatione præſentum. Per &c.

(*c*) Verè dignum. Cujus nobis etiam ipſa medetur auſteritas,

(a) *Nota marginalis*: Dum proſperitas redundat, eruditio ſuperna quæratur.

(b) Divinis *eſt varians lectio*.

(c) *In margine*: Admonet, ad ſupplicandum nos eſſe promtiores.

ritas, dum peccandi coercet affectum, dum ad ſupplicandum tibi mens humana fit promtior, dum gratior redit poſt adverſa tranquillitas, & inter hæc, probata fides eruditur ad præmium. Per &c.

Libera nos ab omni malo, propitiuſque concede, ut quæ nobis poſcimus relaxari, ipſi quoque proximis remittamus. Per &c.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut quod nobis ad immortalitatis pignus eſſe voluiſti, ad ſalutis æternæt ribuas provenire ſuffragium. Per &c.

Inclinantes ſe, Domine, majeſtati tuæ propitiatus intende; ut qui divino munere ſunt refecti, cæleſtibus ſemper muniaantur auxiliis. Per &c.

XIII. *Item alia.*

Da nobis, quæſumus, Domine Deus noſter, in tua ſemper devotione gaudere; quia perpetua eſt & plena felicitas, ſi bonorum omnium jugiter ſerviamus Auctori. Per &c.

Quæſumus, omnipotens Deus, ne ad diſſimulationem tui cultus proſpera nobis collata ſuccedant, ſed ad gratiarum actionem, tibi propentius exhibendam, poſius nos ſemper accendant. Per &c.

Hoſtias tibi, Domine, deferimus immolandas, qui temporali conſolatione ſignificas, ut promiſſa non deſperemus æterna. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Quoniam ſicut tua clementia non ſolùm beneficia præſtat immeritis, ſed affectum quoque nobis, quo gratias referamus, inſpirat, ita nos convenit laudes tuas, quia non poſſumus competenter explere, ſaltem ſine ceſſatione depromere; ut quas nunquam ſufficienter exſolvimus, numquam reddere deſinamus. Per &c.

Obſervationis annuæ celebritate gratulantes, ut eorum, quorum actionibus in hæremus, plenis effectibus gaudeamus. Per &c.

(a) *In margine:* Inſpiratione Dei gratiæ referuntur.

Eccleſia tua, Domine, cæleſti gratia repleatur & creſcat; atque ab omnibus vitiis expiata, percipiat ſempiternæ redemtionis augmentum; ut quod in membris ſuis copioſa temporum prorogatione veneratur, ſpiritalium capiat largitate donorum. Per &c.

XIV. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, mentes noſtras, quæſumus, ad opera tibi placitura converte; ut correptio tua non ſit negligentibus major cauſa pœnarum, ſed fiat eruditio paterna correctis. Per &c.

Deus, qui ſacra Legis omnia conſtituta, in tua & proximi dilectione poſuiſti: da nobis horum propitius efficientiam mandatorum; quia impoſſibile eſſe ſibi nullus excuſat, quod tanta brevitate concluditur, tanta æquitate præcipitur. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui offerenda tuo nomini tribuis, & oblata devotioni noſtræ ſervitutis adſcribis: quæſumus clementiam tuam, ut, quod præſtas, unde ſit meritum, proficere nobis largiaris ad præmium. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui mutabilitatem noſtram ad incommutabilia ita juſtus & benignus erudis, ut nec fragilitatem deſtituas & coerceas inſolentes: quo pariter inſtituti, pia converſatione & cæleſtibus ſacramentis, ſic bonis prætereuntibus nunc utimur, ut jam poſſimus inhærere perpetuis. Per &c.

Exaudi, Deus, orationem noſtram; & tua ſancta, quæ ſumſimus, non ad judicium nobis provenire patiaris, ſed ad remedium propitiationis immenſæ. Per &c.

Placidus aſpice, Domine, plebem tuam, & quam donis tui facis eſſe conſortem, a malis omnibus corporis & mentis emunda; ut noxia perturbatione ceſſante, liberum tibi ſemper exhibeant famulatum. Per &c.

Item

(a) *Nota marginalis*: Coercet inſolentes.

XV. *Item alia*.

Concede nobis, Domine, quæſumus, gratiam tuam, per quam boni eſſe poſſimus, & præſta, ut eamdem ſtudiis competentibus exſequamur. Per &c.

Deus, quem injuſtitia noſtra inceſſanter offendit: da nobis rectæ converſationis effectum, per quem conſequamur & veniam. Per &c.

Oblatio nos, Domine, quæſumus, ſacranda purificet, ac ſui miniſterio pariter & participatione dignos efficiat. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui curam noſtri ea ratione moderaris, ut proventus exterior de internorum qualitate procedat. Nullis quippe forinſecus miſeriis affligemur, ſi vitia frænemus animorum; nec viſibili dedecori ſubjacebit, qui fœdis cupiditatibus obviarit; nulla inquietudo prævalebit extrinſecus, ſi agamus corde ſincero; nullis ſubdemur hoſtibus, ſi pacem teneamus internam. Ita ſicut à nemine magis, quàm à nobis, lædimur, ſic noxia cuncta ſuccumbent, ſi noſmetipſos ante vincemus. Per &c.

Tribuat nobis, Domine, quæſumus, ſanitatem mentis & corporis Sacramenti tui medicina cæleſtis; ut hujus operatione vegetati tam præſentia quàm æterna ſubſidia capiamus. Per &c.

Conſequatur, Domine, quæſumus, tuæ benedictionis auxilium, quod ſupplex poſcit Eccleſia; percipiat indulgentiam; boni operis inſtruatur; temporalium neceſſitatem conſolatione reſpiret; ad gaudia ſempiterna perveniat; & aſſumat æterna. Per &c.

XVI. *Item alia*.

Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter; & quibus ſupplicandi tibi præſtas affectum, tribue tuæ propitiationis effectum. Per &c.

Myſteria tua, Domine, debitis ſervitutis exſequentes, ſup-

(a) *In margine*: Pro vitiis, quibus ſubjacemus, orandus Deo.

ſupplices te rogamus, ut quod ad honorem tuæ majeſtatis offerimus, nobis proficiat ad ſalutem. Per &c.

(a) Verè dignum. Cujus & propitiationis exordium principaliter inde ſentimus, quum tuorum ſenſibus dignanter infundis totis tibi mentibus ſupplicare, nec humanis optibus, ſed tua virtute confidere; & indificientem gratiam commprobamus, quum nos vel in hac devotione tribuis permanere, vel de perceptis beneficiis, non in nobis, ſed in tuo nomine gloriari. Per &c.

Satiati munere ſalutari tuam, Domine, miſericordiam deprecamur, hoc eodem Sacrameuto, quo nos temporaliter vegetas, efficias perpetuæ vitæ participes. Per &c.

Auxiliare, Domine, famulis tuis, & intua pietate fidentibus jugiter eſto propitius; ut & præſentia pericula, te protegente, declinent, & futura gaudia, te largiente, percipiant. Per &c.

XVII. *Item alia*.

Parce, Domine, parce Populo tuo, ut dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret. Per &c.

Exaudi, Domine, plebem tuam, & quod non hebent merita ſupplicantum, tua nos ſemper gratia præveniens largiatur. Per &c.

Altaribus tuis, Domine, munera noſtræ ſervitutis inferimus, quæ placatus accipias, & acceptum tibi noſtrum, quæſumus, famulatum, & Sacramentum noſtræ redemtionis efficiant. Per &c.

Verè dignum. A tua enim nunquam eſt laude ceſſandum; quæ & inter anguſtias neceſſarium præſtat auxilium, & in proſperitate gratiarum tibi referens actionem, quanto nos memores facit eſſe beneficii, tanto nobis tua magis dona conciliat. Per &c.

Quæ-

(a) *Ibidem*. Non confidere in divitiis, niſi in gratia Dei tantùm, ſuadet.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non ſinas ſubjacere periculis. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, Populi fidelis inſtitutor & rector, in familia ſacramento tui nominis acquiſita, gratiæ tuæ dona cuſtodi; ut bona, quæ te auctore percepit, te protegente ſerventut, (a) te largiente copioſius augeantur. Per &c.

XVIII. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis voluntatem tuam fideli mente retinere, & pia converſatione depromere; ut Eccleſia tua a profanis vanitatibus expiata, non aliud profiteatur verbis, aliud exerceat actione. Per &c.

Exaudi nos, Domine Deus noſter, & à pravitatibus Mundi tuorum diſcerne corda fidelium; ut qui Dominum ſua voce pronuntiant, in diabolicam non recidant ſervitutem. Per &c.

Ut tibi grata ſint, Domine, munera Populi tui, ab omni, quæſumus, nos contagio perverſitatis emunda; nec falſis gaudiis inhærere patiaris, quibus ad veritatis tuæ præmia venire promittis. Per &c.

Verè dignum. Qui Eccleſiam tuam à diabolica ſimulatione vis eſſe purgatam; atque ut à fictis ſincera diſcernas, ex operum qualitate fructus intelligi præcipis voluntatum; ad te pertinere non reputans, quos vel diſſimulare, quæ tua ſunt, vel his contraria perſpexeris operari: Unde benedicimus te, Domine, teque debita ſervitute laudamus. Per &c.

Adeſto nobis, omnipotens & miſericors Deus, & Sacramenta, quæ ſumſimus, nec noſtris exceſſibus, nec alienis permittas violari peccatis. Per &c.

Gregem tuum, Paſtor bone, placatus intende, & oves quas pretioſo Sanguine redemiſti, diabolica non ſinas incurſione lacerari. Per &c.

Item

(a) *Poſtrema hæc verba ſunt additamentum variantis Lectionis.*

XIX. *Item alia.*

Suſcipe, quæſumus, Domine, preces noſtras, & clamantium ad te pia vota propitius intuere. Per &c.

Exaudi, Domine, quæſumus, gemitum Populi tui, nec plus apud te valeat offenſio delinquentium, quàm miſeratio tua, ſemper indulta fletibus ſupplicantium. Per &c.

Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende; quod & nos a vitiis noſtræ conditionis emundet & tuo nomini reddat acceptos. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui ideo differs vota poſcentium, ut in ipſa quoque deprecationis diuturnitate proficiant; & tardius poſtulata præſtando, fidelium tuorum mentibus præſtare cognoſceris devotionis augmentum. Per &c.

Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut ſicut nos Corporis & Sanguinis ſacroſancti paſcis alimento, ita divinæ naturæ facias eſſe conſortes. Per &c.

Cæleſtibus, Domine, quæſumus, præſidiis muniantur, qui in tua protectione confidentes, in te ſolo præſule gloriantes, tuo ſemper foveantur auxilio. Per &c.

XX. *Item Alia.*

Exaudi, Domine, preces noſtras, & celeri nos propitiatione lætifica. Per &c.

Intende, Domine, quæſumus, ſupplices tuos; & pariter nobis indulgentiam tribue benignus, & gaudium. Per &c.

Hoſtias, Domine, ſuſcipe placatus oblatas, quas ſanctificando, nobis quæſumus, efficias ſalutares. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Qui cæleſtibus diſciplinis ex omni parte nos inſtruens, qualiter à fidelibus tuis falſos fratres diſcerneremus, (*c*) oſtendens, Unigeniti tui voce pronuntias: ex

(a) *Nota marginalis*: Ideo tardius impetratur, ut perſeveret oratio poſtulantis.

(b) *Nota marginalis*: De falſis fratribus.

(c) Oſtendens *abundat ex varianti lectione, niſi fortè mavis legere* oſtendis.

ex fructibus eorum cognoſcetis eos. De his ſunt enim inflati ſenſu carnis ſuæ, & non tenentes caput. De his ſunt, qui terrena ſapientes, ita deprecantium te verba (*a*) faſtidiunt; quia animales atque carnales, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtulta mente non capiunt. De his ſunt reprobi circa Fidem, qui neſcientes, quæ loquantur, neque de quibus affirment, ſæpe ſubvertere conati ſunt & conantur. De his ſunt (*b*) ſubdoli operarii, qui introeunt explorare Eccleſiæ libertatem, quam habet in Chriſto, ut eam ſecum in turpem redigant ſervitutem. De his ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis; non ſolùm (*c*) viduarum facultates, ſed devorantes etiam maritarum. Iſti jam nec juſtos appetunt ſe videri, nec ſaltem deforis ſunt vel dealbati vel loti, ſed palam, pudore calcato, de pravis converſationibus ſuis etiam gloriantur, & domi foriſque ſpurcitiam contrahentes, non tam referti ſunt oſſibus mortuorum, quàm magis ipſi ſunt mortui. Quibus Evangelica ſententia convenienter exclamat: *ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ ſunt?* Nam quum in his, quæ videntur, obſcura ſint, & malæ famæ nigra dedecore, ſatis evidenter apparet, hæc eos in occulto gerere, quæ etiam turpe ſit dicere. (*d*) Iſti non ſolùm ad tuam gratiam venientes ſui fœditate deterrent, ſed etiam intrinſecus fratribus conſtitutis, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, offendiculum ſuæ perverſitatis opponunt. Tales cavere nos jubes, per Apoſtolum tuum dicens: *Seperate vos ab omni fratre inordinate ambulante.* Et ea nos præcipis operari, quæ videntes cuncti verè fideles tui, te cæleſtem Patrem collaudent atque magnificent; à quo rationabilis conſcientiæ, bonæque famæ donum omne perfectum, optimumque deſcendit. Per &c.

Quod

(a) *In margine*: De faſtidioſis.
(b) *Ibidem*: De ſubdolis.
(c) *Item alia*: Devoratores viduarum & maritarum.
(d) *Nota marginalis*: Subverſores fratrum. Cavendum a talibus.

Quod ore ſumſimus, Domine, quæſumus, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum. Per &c.

Famulos & famulas, Domine, quæſumus intuere, quibus in te ſperare donaſti; ac pariter eis, & quæ tibi placeant, poſtulare, & (*a*) potius poſtulata concede. Per &c.

XXI. *Item alia*.

Concede nobis, Domine, veniam delictorum, & eos, qui nos impugnare moliuntur, expugna; quia ſub tuo munimine conſtitutis nulla Diaboli nocebit obreptio. Per &c.

Protector in te ſperantium, Deus, exaudi preces noſtras, & miſerere noſtri; ut corpore & mente vegetati, tuis ſemper inhæreamus officiis. Per &c.

Supplices te rogamus, Deus, ut munera, quæ deferimus, & devotionis gratiam nobis conferant & ſalutem. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Quia Eccleſiæ tuæ filios, ſicut erudire non ceſſas, ita non deſinis adjuvare, ut recte facienda cognoſcant, & poſſibilitatem capiant exſequendi. Per &c.

Sumentes dona cæleſtia, gratias tibi referimus, ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus. Per &c.

Protege, Domine, fideles tuos, & quos ſpiritali cibo vivificare dignatus es, perpetua ſalvatione comitare. Per &c.

XXII. *Item alia*.

Auge fidem tuam, Domine, quæſumus, miſeratus in nobis; quia pietatis tuæ ſubſidia non negabis, quibus in te credendi contuleris firmitatem. Per &c.

Da nobis Domine quæſumus, in te tota mente confidere; quoniam ſicut ſuperbis in ſua virtute præſumentibus ſemper obſiſtis, ita non deſeris in tua miſericordia gloriantes. Per &c.

Munera, Domine, quæſumus, offerentes, ut & ab omnibus

(a) *Sortè legendum* propitius
(b) *In margine*: Recte agendum.

bus mundare peccatis, & à cunctis nos protege digneris adverſis. Per &c.

(*a*) Vere dignum. Quia, quum omne opus bonum à te inchoari conſtet, & perfici hanc ipſam, quam nobis tribuis perſeverantiam ſupplicandi, certi ſumus, impetrare nos poſſe, quæ poſcimus. Per &c.

Tribue nobis, Domine, cæleſtis menſæ virtute ſatiatis, & deſiderare, quæ recta ſunt, & deſiderata percipere. Per &c.

Tu eſto, quæſumus, Domine, Populi tui munimen & cuſtos; tu vitæ præſentis ſuſtentator & rector; tu collator æternæ. Per &c.

XXIII. *Item alia.*

Tuere, Domine, quæſumus nos famulos tuos, ut à peccatis omnibus abſtinentes, promta tibi voluntate famulemur. Per &c.

Grata tibi ſit, quæſumus, Domine, tuæ plebis oblatio, per quam & ſanctificationem referat, &, quæ pie precatur, obtineat. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Quia fragilitatem noſtram miſeratus intendens, & mentem nobis tribuis ſupplicandi, & tua ſupplicibus dona largiris. Per &c.

Adeſto nobis, Domine Deus noſter, & quos tuis myſteriis recreaſti, perpetuis defende præſidiis. Per &c.

Familiam tuam, Domine, benignus illuſtra, & benedictionis tuæ largitate confirma; ut te in omnibus ducem, te mereatur habere cuſtodem. Per &c.

XXIV. *Item alia.*

Omnipotens & miſericors Deus, ad cujus beatitudinem ſempiternam, non fragilitate carnis, ſed alacritate mentis aſcenditur, fac, nos atria ſupernæ Civitatis & te inſpirante ſemper ambire, & tua indulgentia fidenter intrare. Per &c.

(a) *Notatur in margine*: In operibus Dei gratias agendum.

(b) *Ibidem*: Humilibus adeſſe Deum in conctis operibus eorum.

Deus, qui quum muneribus nullis indigeas, ipſe nobis munera cuncta largiris, accipe propitius, quæ de tuis donis tibi nos offerre voluiſti; non ſolùm noſtræ reputans devotioni, quæ tua ſunt, ſed etiam per hæc nos ad cæleſtia regna perducens. Per &c.

P. S F E

Gratias tibi, Domine, laudeſque perſolvimus, qui nos Corporis & Sanguinis dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri communione vegetaſti; miſericordiam tuam ſuppliciter exorantes, ut hoc tuum, Domine, Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed fiat interceſſio ſalutaris ad veniam.

XXV. *Item alia*.

Protege, quæſumus, Domine, Romani nominis ubique Rectores; ut his tua virtute vincentibus, pax populi tui ſecura proveniat. Per &c.

Prætende nobis, Domine, miſericordiam tuam, ut quæ votis expetimus, converſatione tibi placita conſequamur. Per &c.

Exaudi, Domine preces noſtras, ut redemtionis noſtræ ſacroſancta commercia & vitæ nobis conferant præſentis auxilium, & gaudia ſempiterna concilient. Per &c.

P F C SP

Sacramentorum tuorum benedictione ſatiati, quæſumus, Domine, ut per hæc ſemper emundemur a vitiis, & periculis caveamur.

Adeſto, quæſumus, Domine, plebi tuæ; ut quæ ſumſit fideliter, & mente ſimul & corpore, te protegente, cuſtodiat. Per &c.

XXVI. *Item alia*.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & ut tuis nos muneribus jugiter proſequaris, majeſtati tuæ fac ſemper devotos. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos donis tuis prævenis

nis dignanter immeritos, da, ut tibi gratias referentes, efficiamur & meriti. Per &c.

Offerimus tibi, Domine, munera, quæ dediſti; ut & creationis tuæ circa mortalitatem noſtram teſtificentur auxilium, & remedium nobis immortalitatis operentur. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Quia, quum noſtra laude non egeas, grata tibi tamen eſt tuorum devotio famulorum; nec te augent noſtra præconia, ſed nobis proficiunt ad ſalutem. Quoniam ſicut fontem vitæ præterire, cauſa moriendi eſt, ſic eodem jugiter redundare, effectus eſt ſine fine vivendi. Per &c.

Libantes, Domine, dona cæleſtia, præſidium nobis ineſſe gaudemus; & inter iſta quæ tranſeunt, eorum, quæ ſunt manſura, confidimus. Per &c.

Protege, Domine, famulos tuos; ſubſidiis paſce corporeis; & ſpiritalibus enutriens alimentis, à cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per &c.

XXVII. *Item alia*.

Converte nos, Domine, tuæ propitiationis auxilio; ut caſtigatio peccatoribus convenienter adhibita, fiat correctio ſalutaris. Per &c.

Reſpice, quæſumus, Domine, preces noſtras, & his muneribus præſentiam tuæ majeſtatis interſere; ut quod noſtro ſervitio geritur, te potius operante formetur. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Cujus propitiationem in hac primum parte ſentimus, quum ea, quæ tibi ſunt placita, & nobis ſalutaria deſideramus appetere. Dum enim ſine te nihil recti velle poſſimus, aut agere aut perficere; indubitanter eſt gratiæ, quidquid convenienter operamur. Per &c.

Cæleſtia dona capientibus, quæſumus, Domine, non

 ad

(a) *Nota marginalis*: Fontem vitæ toto corde diligendum; ideſt Chriſtum Redemtorem noſtrum.

(b) *Alia*: Indubitanter gratia Dei reputandum, quidquid agimus Fidei miniſtri.

ad judicium provenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providiſti. Per &c.

Adeſto, Domine, Populis, qui ſacra donaria contigerunt; ut nullis periculis affligantur, qui te protectore confidunt. Per &c.

XXVIII. *Item alia.*

Magnificentiam tuam, Domine, prædicamus, ſuppliciter implorantes, ut qui nos imminentibus periculis exuiſti, à peccatis quoque benignus abſolvas; ut beneficia nobis majora concedas, & tuis nos facias parere mandatis. Per &c.

Munera nomini tuo, Domine, cum gratiarum actione deferimus, qui nos ab infeſtis hoſtibus liberatos Paſchale ſacramentum (*a*) (ſecura) placida tribuis mente ſuſcipere. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Majeſtatem tuam totis ſenſibus deprecantes, ut ſic vitia noſtra depellas, ſicut corpore ferales extinguis inimicos; nec captivitatem, quam extrinſecus ſummoviſti, ſuſtinere nos patiaris internam. Sed ut noxia quæque diſcutias, & proſpera jugiter largiaris, ſemper nos, & quæ prava ſunt, declinare perficias, & amare, quæ juſta ſunt. Per &c.

Laudes tuas, Domine, non tacemus; quia nos à malis, quæ merebamur, expediens, bona tua præſtas celebrare lætantes. Per &c.

Da, quæſumus, Domine fidelibus tuis in ſacra ſemper actione perſiſtere; ut qui tua miſeratione ſunt digni, fiant pietatis officio digniores. Per &c.

XXIX. *Item alia.*

Omnipotens & miſericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis digne & laudabiliter ſerviatur, tribue, ut ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus. Per &c.

Suſci-

(a) Secura *eſt varians lectio.*

(b) *In margine*: Orandum, ut vitia à nobis Deus depellat.

Suſcipe, quæſumus, Domine, munera, quæ de tuis offerimus collata beneficiis; & quod noſtræ devotioni concedis effici temporalis, tuæ nobis fiat præmium redemtionis æternæ. Per &c.

P̄ F̄ Ē S̄P

XXX. *Item alia.*

Ne deſpicias, Domine, quæſumus, in afflictione clamantes, ſed laborantibus celeri ſuccurre placatus auxilio. Per &c.

Reſpice nos, omnipotens & miſericors Deus, & ab omnibus tribulationibus propitiatus abſolve. Per &c.

Mitte, Domine, quæſumus, Spiritum Sanctum, qui hæc munera præſentia noſtra tuum nobis efficiat Sacramentum, & ad hoc percipiendum noſtra corda purificet. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Quia te ſine ceſſatione prædicantibus, nec adverſa prævalent, nec proſpera negabuntur. Per &c.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis & corporis cæleſte m ſterium, & cujus exſequimur actionem, ſentiamus effectum. Per &c.

Plebs tua, Domine, quæſumus, benedictionis ſanctæ munus accipiat, per quod & noxia quæque declinet, & optata reperiat. Per &c.

XXXI. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos & caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas: præſta ſupplicibus tuis, ut & tranquillitatis optatæ conſolatione lætemur, & ad correctionis effectum, dono tuæ pacis utamur. Per &c.

Preces noſtras, Domine, propitiatus admitte, & à terrenis effice contagiis expiatos, quos cæleſtibus tribuis ſervire myſteriis. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Per quem nos eruis à peccatis, à pericu-

(a) *In Margine*: Adverſa repelli, proſpera miniſtrari.
(b) *Item*: A peccatis ſive periculis nos Chriſtus redemit.

riculis exuis, & ad gaudia ſempiterna perducis. Per &c.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut Menſæ tuæ ſancta libantes, non ad judicium nobis, ſed ad præſidium ſempiternum cæleſtia dona ſumamus. Per &c.

Reſpice, Domine, propitius Populum tuum; atque ad tuam miſericordiam pertinentes & temporalibus (*a*)(præſentibus ſuſtenta beneficiis, & (*b*) futuris æternis. Per &c.

Orationes matutinæ, vel ad veſperum.

Deus, qui diem diſcernis & noctem, actus noſtros à tenebrarum diſtingue caligine, ut ſemper, quæ ſancta ſunt, meditantes, in tua jugiter luce vivamus. Per &c.

Annue, Domine, precibus noſtris, & tuis ſervitiis inhærentes, pervigili protectione cuſtodi. Per &c.

Domine Deus noſter, diurno labore fatigatos ſoporis quiete nos refove; ut adjuti neceſſario fragilitatis auxilio, & corpore tibi ſimus & mente devoti. Per &c.

Propitiare, Domine, quærentibus miſericordiam tuam, & ſtatum Romani nominis ubique defende, (*c*) & Romani nominis ubique protege Principatum, ut pax ſaluſque perpetua tuorum poſſit vigere Populorum. Per &c.

Item ad veſperum.

Quæſumus, Domine Deus noſter, diei moleſtias noctis quiete ſuſtenta; ut neceſſaria temporum viciſſitudine ſuccedente, noſtra reficiatur infirmitas. Per &c.

Exaudi nos, omnipotens ſempiterne Deus; & ne ſine terminis operum fragilitas humana deficiat, ipſa mutabilium rerum varietate nos refove. Per &c.

Adeſto, Domine, precibus noſtris, & die noctuque protege; ut quibuslibet alternationibus temporum tua ſemper incommutabilitate firmemur. Per &c.

Item

(a) præſentibus, *varians lectio.*

(b) futuris, *varians quoque lectio.*

(c) Et Romani nominis ubique protege Principatum, *perperam ex varianti lectione in textum irrepſerunt.*

XXXII. *Item alia*.

Reſpice propitius, Domine, quæſumus, afflictionem Populi tui; & ne ad perdendum peccata noſtra prævaleant, ſed ad ſalvandum nos tua potius miſericordia copioſa prævincat. Per &c.

Propitius intuere munera, Domine, quæſumus, quæ tuis altaribus exhibemus; ut quod noſtra fragilitate defertur, tua virtute ſacretur. Per &c.

P̄ F̄ C̄

Sumſimus, Domine, ſacri dona myſterii, humiliter deprecantes, ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepiſti, in noſtræ proficiant infirmitatis auxilium. Per &c.

Rege, Domine, quæſumus, tuorum corda fidelium; & ut bona tua, te largiente, percipiant, ipſorum primitus bonas eſſe concede voluntates. Per &c.

XXXIII. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis Fidei, ſpei & Caritatis augmentum; & ut mereamur aſſequi, quod promittis, fac, nos amare, quod præcipis. Per &c.

Deus, qui plenitudinem mandatorum in tua & proximi dilectione poſuiſti: hanc nobis gratiam largire propitius; ut quia in multis offendimus, tua Caritas abundet in nobis, per quam peccata mundantur. Per &c.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, oblationes familiæ tuæ propitiatus intende, ut hæc piæ devotionis obſequia & Rectores ſanctificent & regendos. Per.&c.

Deus, qui fideles tuos ad veram vis innocentiam pervenire, fac nos per indulgentiam tuam illius participes ſanctitatis, quæ nec ſibi noxia, nec cuiquam inveniatur adverſa. Per &c.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da ſervis tuis hunc Caritatis affectum, ut bona pro malis reddere

tuo

tuo incitentur exemplo, & de inimicis ſuis correctione magis cupiant, quàm ultione gaudere. Per &c.

Propitiare, Domine, ſupplicum votis, & Populi tui oblationibus precibuſque ſuſceptis, omnium noſtrum ad te corda converte. Per &c.

P̄ F̄ Ē

Incipiunt Preces diurnæ cum ſenſibus neceſſariis.

XXXIV.

Omnipotens ſempiterne Deus, Romanis auxiliare principibus, ut tua virtute roboratis, omnis hoſtilitas nec viribus poſſit prævalere nec fraude. Per &c.

Noſtris, quæſumus, Domine, propitiare temporibus; ut tuo munere dirigantur & Romana ſecuritas & devotio Chriſtiana. Per &c.

Supplices, Domine, deprecamur, ut per hæc dona ſacrificii ſingularis, & abolitio peccatorum, & tua nobls ſanctificatio præbeatur. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui ineffabilibus modis hoſtes noſtros etiam in tuam pateris contumeliam proſilire; ut quia nos de eorum ſævitia vindicari pro noſtris actibus non meremur, dum ad ultionem tuæ rediguntur injuriæ, nobis licèt improbis conſulatur; te pariter admonente, quum peccatoribus iſta præſtentur, quanta poſſis miniſtrare correctis. Per &c.

Tua nos, quæſumus, Domine, miſeratio glorioſa purificet, & dignos, quibus ſua beneficia præſtet, efficiat. Per &c.

Fidelem Populum, quæſumus, Domine, potentiæ tuæ muniat invicta defenſio, ſanctumque ſibi cæleſti diſpenſatione percipiat, ut pio tibi ſemper devotus affectu, & ab infeſtis liberetur inimicis, & in tua jugiter gratia perſeveret. Per. &c.

XXXV. *Item alia.*

Supplicandi tibi, quæſumus, Domine, da nobis ſine ceſſa-

(a) *Nota marginalis*: De contumelia hoſtili, quæ ad correctionem fidelium *conſtat*.

ceſſatione conſtantiam; ut quos non deſeris in tribulatione ſubjectos, copioſius foveas majeſtatem tuam jugiter exorantes. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine, ut hac oblatione mundati, ſumamus & deprecandi fiduciam, & gratiam, quæ juſta (*a*) bona ſunt, impetrandi. Per &c.

In Jejunio.

Verè dignum. Tantoque propenſius agere, quod pro noſtro modulo nitimur operari, quanto jejuniis & orationibus ſperamus conſequi nos poſſe, quæ poſcimus; præſertim dum præſtitorum teſtificatio ſpem tribuat petendorum. Per &c.

Domine Deus noſter, qui ſalutaria & prævides ſolus & tribuis: tu, quæſumus, & mentibus noſtris largire ſemper affectum tuam miſericordiam poſtulandi, & quæ nobis ſunt utilia, placatus intende. Per &c.

Exaudiat vos Dominus Deus noſter, & pro ſua quemque neceſſitate clamantem benignus aſpiciat; ſolatia propitius adminiſtret, quæ humana poſcit infirmitas; peccata, quæ adverſantur, avertat; pariterque corporibus veſtris & mentibus ſemper profutura concedat. Per &c.

XXXVI. *Item alia*.

Domine Deus noſter, quæſumus, concede propitius, ut Eccleſia tua jugiter & religione creſcat & pace. Per &c.

Conciliet nobis miſericordiam tuam, Domine, munus oblatum, noſtræque ſimul protectioni proficiat & ſaluti. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Qui non ſolùm peccantibus nobis veniam tribuis, ſed hoſtibus noſtris potenter obſiſtis; & quos perpeti, malis operibus, promeremur, magnifica pietate depellis, ut nos ad tuæ reverentiæ cultum & terrore cogas & amore perducas. Per &c.

(a) bona *ſuperabundat ex varianti lectione*.

(b) *Nota marginalis*: Omne adverſum ad correctionem pertinet.

Tantis, Domine, repleti muneribus, ut ſalutaria ſemper dona capiamus, præſta, quæſumus, ut à tua numquam laude ceſſemus. Per &c.

Porrige, quæſumus, dexteram, Domine, Populo deprecanti; & cui tribuis ſupplicandi benignus affectum, præbe placatus auxilium; ut te ductore confidens, & mala cuncta declinet, & omnia, quæ bona ſunt, apprehendat. Per &c.

XXXVII. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, Eccleſiæ tuæ concede propitius ut mortiferis oblectationibus amputatis, æternitatis tuæ potius delectatione lætetur. Per &c.

Auxiliare nobis, miſericors Deus, & ut cunctos hoſtes expugnare poſſimus, præſta, quæſumus, ut noſtros vincamus errores. Per &c.

Repelle, Domine, quæſumus, à nobis ſagrilegas voluntates, & tribue, ut divina (*a*) beata myſteria caſtis jucunditatibus celebremus. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Suppliciter exorantes, ut omnis à noſtro diſcedat corde profanitas, & quod profeſſione reſpuimus, actione vitemus; quia nimis eſt exſecrandum, ut quum vanæ ſuperſtitionis ipſos quoque removeris ſectatores, à fidelibus tuis diabolica figmenta tractentur: quia hoc ipſo pravi ſpiritus (ſectatores) non dubium eſt, quod factis probantur & dictis, labem moribus irrogare, dum ſcilicet vel aguntur crimina, vel canuntur. Promtiuſque debemus, omni ritu peſtiferæ vetuſtatis abolito, cæleſtis vitæ novitate gaudere; quia tunc propitiatio ſuperna non deerit, ſi, cunctis abominationibus abdicatis, ad veræ Divinitatis ſalutaria mandata currentes, laudes ejus ſancta voce cantemus. Per &c.

Lætificet nos; quæſumus, Domine, Sacramenti veneranda ſolemnitas, pariterque mentes noſtras & corpora & ſpiritali

(a) Beata *varians lectio*.

(b) *In Margine*: Orandum, ne profanitas in nobis ſubripiat.

ritali ſanctificatione fœcundet, & caſtis gaudiis ſemper exerceat. Per &c.

Purifica, Domine, quæſumus, familiam tuam, & ab omnibus contagiis pravitatis emunda. (*a*) Tuis donis exultent, te ſemper ubique collaudent; ut redempta vaſa ſua Domini paſſione non Spiritus immundi rurſus inficiant, ſed ſalvatio ſempiterna poſſideat. Per &c.

XXXVIII. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, ab hoſtium nos defende formidine, ut omni perturbatione ſummota, liberis tibi mentibus ſerviamus. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine Deus noſter, ut & inter quaslibet anguſtias conſtituti non deſinamus tuo nomini ſupplicare, & quum propitiatio nobis cæleſtis impenditur, à tua nunquam laude ceſſemus. Per &c.

Placatio tua nobis, Domine, ſit propinqua, quam etſi noſtris operibus non meremur, interveniente Sacrificio ſingulari, tua percipiamus miſeratione præveni. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Tu enim nos per Evangelicæ relationis exemplum, quod meritis non valemus, januam miſericordiæ tuæ pulſando diutius, impetrare poſſe docuiſti; atque ideo ſupplices te rogamus, ut & perſeverantiam nobis tribuas deprecandi, & pium pandas tuæ propitiationis auditum. Per &c.

Sentiamus, Domine, quæſumus, tui perceptione Sacramenti ſubſidium mentis & corporis; ut in utroque ſalvati, de cæleſtis remedii plenitudine gloriemur. Per &c.

Effunde, quæſumus, Domine, Spiritum gratiæ ſuper familiam tuam, & ab ea quidquid diabolicæ fraudis irrepit quidquid terrenæ labis incurrit, expelle; ut interius exteriuſque mundata & puram tibi devotionem ſemper exhibeat, & facilius

 poſſit

(a) Tuis donis exultent, te ſemper ubique collaudent: *hæc in textum videntur illata.*

(b) *Nota marginalis*: Diutius pulſandum ut impetretur.

poſſit aſſequi, quod rationabiliter & convenientr expoſcit. Per &c.

XXXIX. *Item alia*.

Annue, quæſumus, omnipotens Deus, ut Sacramentorum tuorum geſta recolentes, & temporali ſecuritate relevemur, & erudiamur legalibus inſtitutis. Per &c.

Da nobis, Domine Deus noſter, ut & Mundi curſus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, & Eccleſia tua tranquilla devotione lætetur. Per &c.

Protege nos, Domine, quæſumus, tuis myſteriis ſervientes, ut divinis rebus & corpore famulemur, & mente. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui profutura tuis & facienda provides, & facta diſpenſas, mirifque modis Eccleſiæ tuæ gubernacula moderaris, ut exerceatur adverſis, & proſperis ſublevetur: ne vel impugnatione ſuccumbat, vel ſecuritate torpeſcat, ſed ſubdito tibi ſemper affectu, nec in tribulatione ſupplicare deficiat, nec inter gaudia gratias referre deſiſtat. Per &c.

Repleti ſumus, Domine muneribus tuis. Tribue, quæſumus, ut & eorum emundemur effectu, & muniamur auxilio. Per &c.

Adveniat, quæſumus, Domine, miſericordia ſperata ſupplicibus, & iiſdem cæleſtis munificentia tribuatur, qua & recte poſcenda cognoſcant, & poſtulata percipiat. Per &c.

XL. *Item alia*.

Præſta nobis, Domine, quæſumus, auxilium gratiæ tuæ; ut ſine qua nihil boni poſſumus, eadem largiente, digne, quæ tua ſunt, & cogitare valeamus & facere. Per &c.

Concede nobis, Domine Deus noſter, ut celebraturi Sanctorum ſolemnia, non ſolùm obſervantiam corporalem, ſed quod eſt potius, habeamus mentium puritatem. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Tua nobis enim munera conferre poſſe confi-

(a) *In margine*: Eccleſia Dei exercetur adverſis, ut proſperis ſublevetur.
(b) *Nota marginalis*: Poſcendam abundantiam devotionis.

confidimus abundantiam devotionis & pacis; ut & ſecuritatem tribuat recte curata Religio, & ſacris ſolemnitatibus famuletur conceſſa ſecuritas (*a*) tranquillitas. Per &c.

Tribue nobis, Domine, quæſumus, ut myſterii ſalutaris & intellectu proficiamus & cultu. Per &c.

Famulos & famulas tuas, Domine, cæleſti viſitatione circunda; mentibus eorum atque corporibus rorem tuæ benedictionis infunde; ut ſacris ſolemnitatibus convenienter aptati & ſanctificationis gratiam referant, & quæ pie precantur, obtineant. Per &c.

XLI. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, tota nos ad te mente converte; ut qui talia dona præſtas immeritis, præbeas majora devotis. Per &c.

Hoſtias tibi, Domine, laudis offerimus, qui nos & præſentibus ſimul bonis cumulas & futuris. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Qui quum deſidioſis & duris operariis immenſa præſidia largiaris, quanta toto tibi corde ſubjectis conferre poſſis, oſtendis; & dum hæc largiris indignis, dignos fieri, quibus meliora tribuantur, hortaris. Per &c.

Gratias tibi referimus, Domine, qui nos à temporalibus facis reſpirare preſſuris, ut ad gaudia ſempiterna promoveas. Per &c.

Perfice, Domine, miſericordias tuas Populo ſupplicanti; quem tuorum largitate donorum, & inſtantius gratiam poſtulare majorem, & fiducialius ſperare concedis. Per &c.

XLII. *Item alia.*

Reſpice, Domine, quæſumus, afflictionem Populi tui, & ab omnibus neceſſitatibus liberatum, ſecura tribue tibi mente ſervire. Per &c.

Læti-

(a) Tranquillitas: *Additum a varianti lectione*

(b) *In Margine*: Præſidia divina ſemper adeſſe duris & deſidioſis operariis, ideſt nobis.

Lætifica nos, Domine, quæſumus, conſolationibus tuis; & ut nobis dona cæleſtis gratiæ largiaris, veniam propitiatus impende. Per &c.

Devotionem, quæſumus, Domine, noſtræ mentis informa; ut cum oblationibus hoſtiarum purum tibi pectus exibeat. Per &c.

(*a*) Verè dignum. qui Eccleſiam tuam & fovere beneficiis, & non deſinis exercere promiſſis; ut dum poſtulata concedis, confidentius facias ſperanda depoſci: gratiarumque etiam actiones, etiam ſi jugiter offerantur, ſine ceſſatione debeamus; quum & præſtitorum præconia non tacentur, & de præſtandis neceſſarie ſupplicatur. Per &c.

Vivificent nos, Domine, tui munera Sacramenti, ut divina participatione ſemper mereamur augeri. Per &c.

Famulos & famulas tuas, quæſumus, Domine, propitius intuere; ut ea ſemper cupiant, quæ tibi placita, & ea ſemper, quæ ſunt eis ſalubria, conſequantur. Per &c.

XLIII. *Item Alia*.

Adeſto, Domine, plebi tuæ, in tua miſericordia confidenti opem tuæ propitiationis impende. Per &c.

Ad aures miſericordiæ tuæ, Domine, ſupplicum vota perveniant; & ut poſſimus impetrare, quæ poſcimus, fac nos ſemper tibi placita poſtulare. Per &c.

Purifica nos, Domine, iiſdem, quibus ſervitium dependimus, Sacramentis; ut oblatio tibi noſtra Sacrificium pariter reddatur & actio. Per &c.

(*b*) Verè dignum. Quia tu ſemper in noſtra perficiens infirmitate virtutem, Eccleſiam tuam inter adverſa creſcere tribuiſti; ut quum putaretur oppreſſa, tunc potius exaltata prævale-

(a) *Ibidem*: Eccleſiam ſuam Dominus ſemper fovet, & non deſinit exercere promiſſis.

(b) *Nota marginalis*: Eccleſia Dei, quum putatur oppreſſa, tunc potius exaltata prævalet.

valeret: dum ſimul & experientiam Fidei declarat afflictio, & per te ſuperata vitæ præſentis efficit glorioſam. Per &c.

Cæleſtis vitæ munere vegetati, quæſumus, Domine, ut quod eſt nobis in præſenti vita myſterium, fiat æternitatis auxilium. Per &c.

Præſta famulis tuis, Domine, abundantiam protectionis & gratiæ. Da ſalutem mentis & corporis. Da continuæ proſperitatis augmenta; & tibi ſemper fac eſſe devotos. Per &c.

XLIV. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, Romani nominis defende Rectores, ut in tua dextera confidentes, fiant cunctis hoſtibus fortiores. Per &c.

Da, quæſumus, Domine Deus noſter, gratiæ tuæ donis & juſtificari nos ſemper & inſtrui, quos quotidianum tibi Sacrificium præcipis exibere. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui ideo præſentium rerum proſpera plerumque ſuſpendis, ne his retenti, cæleſtia non quæramus; & tunc eadem magis benignus impendis, quum hæc in tui nominis cultum transferimus promptiores. Per &c.

Majeſtati tuæ, Domine, debitas laudes offerimus, qui nos & temporalibus ſubſidiis refoves, & paſcis æternis. Per &c.

Eſto, quæſumus, Domine, propitius plebi tuæ, ut de die in diem, quæ tibi non placent, reſpuens, tuorum potius repleatur dilectionibus mandatorum & mortalis vitæ conſolationibus gubernata proficiat ad immortalitatis effectum. Per &c.

XLV. *Item alia*.

Cuſtodi, Domine, Populum tuum, & ut eiſdem perpetuam miſericordiam largiaris, tuo ſemper nomini fac devotum. Per &c.

Auxiliare Domine, ſupplicibus tuis, ut opem tuæ gratiæ conſequantur, qui in tua pietate confidunt. Per &c.

Deus.

(a) *In margine*: Suſpenduntur nobis proſpera, ut velocius cæleſtia ambiamus.

Deus, qui myſteriorum tuorum dignanter operaris effectus, præſta, quæſumus, ut ſacris apta muneribus fiant noſtra ſervitia. Per &c.

(a) Verè dignum. Qui humanum genus juſta ſinceraque decernis ſocietate conſtare: & ideo cuncta refutanda, docuiſti, quæ præpediunt æquitati, quia per hæc turbatur tranquilla concordia; injuſtitiamque præcipis eſſe vitandam, ut unanimitas inoffenſa permaneat; nobiſque eſt magnopere feſtinandum, ut, quæ tibi non placent, renuentes, ea potius appetamus, quibus poſſimus habere placatum. Per &c.

Subſidio noſtræ ſalutis accepto, ſupplices, Domine, te rogamus, ut quos tanti myſterii tribuis eſſe conſortes, eoſdem dignos efficias. Per &c.

Adeſto, Domine, propitius plebi tuæ; & ut eam perpetua bonitate non deſeras, piis operibus indeſinenter exerce: quia omnia dona præſtabis, quibus conceſſeris Religionis augmentum. Per &c.

MENSE AUGUSTO.

III. Nonas Auguſti.

Natale Sancti Stephani in Cœmeterio Calliſti Via Appia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primitias Martyrum in ſancti Levitæ Stephani ſanguine dedicaſti, tribue, quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis etiam perſecutoribus ſupplicavit. Per &c.

Offerimus hoſtias nomini tuo, Domine, quantum de noſtro merito trepidi, tantum de Sanctorum tuorum ſuffragiis confidentes. Præſta, quæſumus, ut nobis & veniam conferant & ſalutem. Per &c.

Verè dignum. Tuæ etenim, Domine, victoriæ celebrantur,

(a) *Nota marginalis*: Refutanda cuncta, quæ præpediant æquitati.

tur, tuorum prædicatur potentia triumphorum, quoties Sanctorum Martyrum ſolemnia recoluntur; quia tu in eis & fortitudinem dimicandi, & palmam feciſti florere juſtitiæ. Inter quos beatus Levita Stephanus glorioſus effulſit. Quem Sancto Spiritu redundante non ſolùm operum qualitas indicabat, ſed tantum etiam cæleſtis magnificabat gloriæ claritudo, ut eam perſequentium cernere non poſſet intuitus. Qui ſic in miniſtrando ſtrenuus & fidelis apparuit, ut eidem Apoſtolicarum committeretur prærogatio ſancta menſarum. Ita caſtitate pariter & largitate præcipuus, ut viduarum curam miſericors & pudicus expleret. Eatenus divinis inſtructus eloquiis, ut palam concilia vinceret Judæorum, in tantum Filii tui confeſſione inflammatus, ut poſt ejus Crucem primus ſuſciperet paſſionem. Ita regna cæleſtia mente jam penetrans, ut adhuc conſtitutus in terris, ſtantem a dextris Virtutis tuæ ipſum, pro quo lapidabatur, intenderet; & cælo vim faciens, quam nomine præferebat, meritis præriperet jam coronam. Per &c.

Lætamur, Domine, tuorum celebritate Sanctorum. Præſta, quæſumus, ut quos veneramur obſequio, adeſſe nobis ſentiamus auxilio. Per &c.

Da quæſumus, Domine, fidelibus tuis hunc caritatis affectum; ut Sanctorum tuorum celebritate ferventes, nullis implicentur erroribus, nullis adverſitatibus affligantur; ſed ſalutaribus proficiant inſtitutis, vitalibuſque præſidiis adjuventur. Per &c.

II. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum virtute multiplici Eccleſiæ tuæ ſacrum corpus exornans, primitias Martyrum glorioſi Levitæ Stephani ſanguine dedicaſti: da nobis diem Natalis ejus honore præcipuo celebrare, quia non diffidimus eum fidelibus tuis ſpecialiter ſuffragari, qui Dominicæ caritatis imitator, etiam pro perſequutoribus exoravit. Per &c.

Præſta nobis, quæſumus, Domine, Deus noſter, ut, ſicut

in tuo conſpectu mors eſt pretioſa Sanctorum, ita ejus merita venerantium acceptum tibi reddant oblationem. Per &c.

Verè dignum. Quoniam non ſolùm nobis tu per Jeſum Chriſtum Dominum adoptionis tuæ filiis contuliſti, ut ille triſtis aculeus ſævientis inferni, & qui ejus acceperat poteſtatem, Diabolus calcaretur; morſque pænaliter contracta peccato, dum pro juſtitia toleratur, tranſiret ad præmium; tantumque ſuperabundantis gratiæ tuæ largitas emineret, ut non ſolùm hoc in ipſo noſtræ Redemtionis auctore, ſed etiam in eum credentium confeſſione perciperet humana ſubſtantia; hujuſque muneris victoriæque principium, Sanctus Stephanus novi Teſtamenti Levita primus & Martyr initiaret poſt Domini Paſſionem. Per &c.

III. *Item alia.*

Propitius tribue, Domine, ut hac oblatione mundemur, pro qua Sancti tui, inter ſupplicia dimicando (*a*) confitendo ſempiternam gloriam ſunt adepti. Per &c.

Verè dignum. Tu enim nobis hanc feſtivitatem beati Stephani paſſione venerabilem conſecraſti; cui tantùm gratiæ Spiritus Sanctus infudit, ut Levitici primus officii pietatis operarius diſpenſatione menſarum, viduarum gubernaculo caſtitatis exemplum, clarus virtute ſignorum, Verbi tui potentia perfidiam deſtruens Judæorum, lapidantibus veniam fervore caritatis implorans, cælorum ſibi patente ſecreto, a dextris Virtutis immenſæ filium hominis cerneret conſtitutum, regnumque Domini Salvatoris, nondum conſummato certamine, palam ſolus aſpiceret, quod Sanctis omnibus oſtenſum eſt poſt agonem. Per &c.

IV. *Item alia.*

(*b*) Omnipotens ſempiterne Deus, qui primitias Martyrum

(a) Confitendo: *varians lectio.*

(b) *Hanc Orationem conſtructam vides partim ex formulis primæ Orationis Miſſæ I. & partim ex aliis Orationis Miſſæ II.*

rum glorioſi Levitæ Stephani ſanguiue dedicaſti: da nobis, diem Natalis ejus honore præcipuo celebrare: quia non diffidimus eum fidelibus tuis ſpecialiter ſuffragari, qui Dominicæ caritatis imitator, etiam pro perſequutoribus ſupplicavit. Per &c.

Donorum omnium, Deus, auctor atque largitor, qui Sanctorum virtute multiplici Eccleſiæ tuæ ſacrum corpus exornas: da, eum in ipſorum defendi prece membrorum, de quorum excellentia gloriatur. Per &c.

(*a*) Præſta nobis, quæſumus, Domine Deus noſter, ut ſicut in conſpectu tuo &c.

(*b*) Verè dignum. Quoniam tu nobis non ſolùm per Jeſum Chriſtum Dominum contuliſti, ut ille triſtis aculeus evidentis inferni &c.

V. *Item alia*.

(*c*) Propitius tribue, Domine, quæſumus, ut hac oblatione &c.

(*d*) Verè dignum. Tu enim nobis hanc feſtivitatem &c. a dextris Virtutis immenſæ Filium cerneret hominis conſtitutum, præmiumque ſuum, nondum conſummato certamine &c.

VI. *Item alia*.

Offerendorum tibi munerum, Deus, auctor & dator, præſta, ut Sacrificium, quod ſanctis Martyribus in perſequutione contulit claritatem, nobis fiat in devotione præſidium. Per &c.

Verè dignum. In die ſolemnitatis hodiernæ, qua Sanctus Stephanus primitivus tuæ Fidei candidatus, ob hoc infidelium perſequutione lapidatus eſt, ut confeſſionis ſacræ lapis vivus exiſteret; & quod inſigni decoratus vocabulo præferebat, impleret corona Martyrii. Per &c.

M 2 Omni-

(a) *Rurſus heic adducitur Oratio Miſſæ II.*
(b) *Repetitur Præfatio ſecundæ Miſſæ.*
(c) *Vide ſupra Orationem ad Miſſam III.*
(d) *Reſumitur heic Præfatio in Miſſa III.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in terrena ſubſtantia conſtitutos divina tractare concedis: præſta, deprecantibus Sanctis tuis, ut eadem conſequamur converſatione cæleſti. Per &c.

Conſerva, quæſumus, Domine, filiorum tuorum tibi ſubditam ſervitutem; ut intervenientibus Sanctis, tua redemtione ſint digni, tua ſemper gratia ſint repleti. Per &c.

VII. *Item alia*.

Deus, qui nos Unigeniti tui clementer incarnatione redemiſti, da nobis patrocinia tuorum continuata Sanctorum, quibus capere valeamus ſalutaris myſterii portionem. Per &c.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut beatus Stephanus Levita magnificus, ſicut ante alios imitator Dominicæ paſſionis & pietatis enituit, ita ſit fragilitatis noſtræ promptus adjutor. Per &c.

Inter noſtræ redemtionis miranda beneficia, & Sanctorum Martyrum glorioſa ſolemnia, cum muneribus, Domine, tuæ laudis occurrimus, agentes gratias & de remedii largitate & de proviſione ſuffragii. Per &c.

Verè dignum. Beati Stephani Levitæ ſimul & Martyris Natalitia recolentes; qui Fidei, qui ſacræ militiæ, qui diſpenſationis & caſtitatis egregiæ, qui prædicationis mirabilis, qui conſtantiæ, qui confeſſionis ac patientiæ nobis exempla veneranda propoſuit; & ideo Nativitatem Filii tui meritò præ ceteris, paſſionis ſuæ feſtivitate ſubſequitur, cujus gloriæ ſempiternæ primus Martyr occurrit. Per &c.

VIII. *Item alia*.

Hoſtias, Domine, ſuppliciter immolamus; in Sanctis nobis collata Martyribus ſalutaris tui ſubſidia prædicantes. Per &c.

Verè dignum. Tu es quippe mirabilis in Sanctis tuis; & ideo licèt in ſingulis, quæ ad cultum Divinitatis aſpiciunt, competens debeamus officium; in cunctis tamen te ſine dubio præ-

prædicamus, quem in beatorum triumphis Martyrum mirabilia cuncta pronuntiant. Per &c.

Gratias agimus, Domine, multiplicatis circa nos miſerationibus tuis, qui & filii tui nativitate nos ſalvas, & Martyrum beatorum deprecatione ſuſtentas. Per &c.

Deus, generis inſtitutor & reparator humani, præſta, quæſumus, ut plebs tua & Sacramentis inſtructa ſalutaribus, & fulta præſidiis, ſic præſentia dona percipiat, ut capere mereatur æterna. Per &c.

IX. *Item alia.*

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut ſicut per cuncta Mundi ſpatia Martyrum tuorum facis victorias propagari, ſic, te auxiliante nobis, eorum ſentiamus ubique præſentiam. Per &c.

Grata ſint tibi, Domine, munera, quæſumus, devotionis hodiernæ, quam beati Stephani Martyris tui commemoratio glorioſa depromit. Per &c.

Verè dignum. Hac feſtivitate lætantes, qua dicatam nomini tuo Baſilicam beatus Stephanus Martyr ſuo honore ſignavit, Levita venerandus, caſtitatis exemplum, fidelis Apoſtolicæ diſpenſator alimoniæ, novi Teſtamenti inter contradicentes promtus aſſertor, primus cæleſtis Martyrii dedicator. Per &c.

Et ſacramentis tuis, Domine, & gaudiis optatæ celebritatis expleti, quæſumus, eorum nobis precibus dent medelam, quorum recordationibus exhibentur. Per &c.

Protegat, Domine, quæſumus, Populum tuum & participatio cæleſtis indulta convivii, & deprecatio collata juſtorum. Per &c.

VIII. Idus Auguſti

Natale Sancti Xiſti in Cœmeterio Calliſti: Et Feliciſſimi & Agapiti in Cœmeterio Prætextati, Via Appia.

Deus omnium fortitudo Sanctorum, quì illis ad hanc gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti: noſtris, quæ-

quæſumus veniam concede peccatis, ut eorum ſolemnia digne celebrare poſſimus. Per &c.

(a) Offerendorum tibi munerum auctor & dator, præſta &c.

Verè dignum. Quoniam inter innumeras toto Mundo Martyrum palmas, quibus Urbis hujus præcipue coronatus eſt ambitus, etiam hunc nobis venerabilem diem beati Xiſti Sacerdotis & Martyris tui ſanguine conſecraſti. Per &c.

II. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctis tuis, non ſolùm credere in Filium tuum, ſed etiam pro eodem pati poſſe donaſti: noſtræ quoquæ fragilitati divinum prætende ſubſidium, ut miſericordiam ſempiternam, pro qua illi felices animas exhalarunt, nos ſaltem ſincera confeſſione mereamur. Per &c.

Magnificaſti, Domine, Sanctos tuos ſuſcepta paſſione pro Chriſto. Præſta, quæſumus, ut nos etiam ſuppliciter celebrata purificet. Per &c.

Verè dignum. Natalem diem ſancti Martyris & Sacerdotis tui Xyſti debita feſtivitate recolentes, qui Apoſtolici Pontificatus dignus in ſua ætate ſucceſſor, & paſſione fortiſſimus imitator, perſequutoris gladium intrepida cervice ſuſcepit; gaudens pro eo ſe capite truncari, a quo non poſſit abſcindi. Per &c.

III. *Item alia.*

Tribue, quæſumus, Domine, Sanctos tuos & jugiter orare pro nobis, & ſemper clementer audiri. Per &c.

Sancta tua nobis, Domine, quæſumus, intervenientibus, qui tibi placuere, proficiant ad ſalutem, nec reatus mortalitatis reddat indignos, quos tua redemtio præſtat innocuos. Per &c.

Verè dignum. In die feſtivitatis hodiernæ, qua beatus Xyſtus pariter Sacerdos & Martyr devotum tibi ſanguinem exſultanter effudit: qui ad eamdem gloriam promerendam doctri-

(a) *Vide paulo ante in Sexta Miſſa Sancti Stephani.*

ctrinæ ſuæ filios incitabat, & quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo. Per &c.

Da nobis, Domine, fidei tuæ miſeratus augmentum; ut quæ ſanctos Martyres tuos uſque ad ſanguinem retenta glorificat, nos etiam juſtificet, veraciter hanc ſequentes. Per &c.

Adſint nobis, Domine, patrocinia tibi grata Sanctorum, & quæ pro illorum ſolemnitate deferimus, eorum commendet oratio. Per &c.

Verè dignum. Qui ſancto Martyri tuo Xyſto, ac præcipuo Sacerdoti, non ſolùm propriæ paſſionis triumphum, ſed ut etiam ſubjectis ſibi miniſtris Eccleſiæ proficeret, contuliſti. Glorioſum denique virum, nec inferior beatitudo Diſcipuli, nec tardior eſt ſequuta victoria. Per &c.

IV. *Item alia.*

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & intercedentibus Sanctis tuis, ab hoſtium nos defende propitiatus incurſu. Per &c.

Suſcipe, Domine, munera paſſionibus tuorum dicata Sanctorum, & quæ illis inter perſequutionis fortitudinem miniſtrarunt, nobis præbeant inter adverſa conſtantiam. Per &c.

Verè dignum. Qui Sanctum Xyſtum Sedis Apoſtolicæ Sacerdotem hodierna die felici martyrio coronaſti. Pro quibus operibus tuis atque muneribus, multiplici gratiarum actione lætantes, hoſtias tibi laudis offerimus. Per &c.

Prodeſt quidem, Domine, continuata cenſura peccantibus. Sed temperetur, quæſumus, tuorum interceſſione Sanctorum; ut non deficiamus infirmi, ſed per tuam gratiam poſſimus nos emendare correpti. Per &c.

Defende, quæſumus, Domine, plebem tuam, in ſola tuæ miſericordiæ venia confidentem; & intervenientibus Sanctis tuis, quidquid eidem debetur pro caſtigatione delicti, tranſeat ad conſolationis effectum. Per &c.

Item

V. *Item alia.*

Adeſto, Domine, Martyrum deprecatione Sanctorum, & quos pati pro tuo nomine tribuiſti, fac tuis fidelibus ſuffragari. Per &c.

Domine Deus noſter, tuis nos purifica ſacramentis, & quorum nos tribuis intereſſe myſteriis, concede remediis gaudere perpetuis. Per &c.

Vere dignum. Tibi enim feſtiva ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur, qua Sancti Xyſti Præſulis Apoſtolici natalitia prælibantes, quibus in confeſſionem tui nominis venerabilis ejus ſanguis effuſus eſt annua majeſtati tuæ vota perſolvimus. Per &c.

Refecti cibo potuque cæleſti, Deus noſter, te ſupplices exoramus, ut in quorum hæc commemoratione percepimus, eorum muniamur & precibus. Per &c.

Prætende, Domine, miſericordiam tuam, & eſto Populi tui defenſor & cuſtos; ut Sanctorum tuorum veneranda ſolemnia ſecuro poſſit frequentare conventu. Per &c.

VI. *Item alia.*

Fac nos, quæſumus, Domine, Sanctorum tuorum ſemper feſta ſectari, quorum ſuffragiis protectionis tuæ dona ſentiamus. Per &c.

Concede, quæſumus, Domine Deus noſter, ut per tua ſemper ſacramenta vivamus; quia protegere non deſiſtes, quos tuis ſemper indulſeris inhærere myſteriis. Per &c.

Verè dignum. Adeſt enim nobis ſancti Sacerdotis & Martyris tui Xyſti deſiderata feſtivitas; quam annua recurſione venerantes, hoſtias tibi laudis offerimus cum Angelis &c.

Repleti ſumus, Domine, miſericordia tua, & benedictione Sanctorum, & ſecuritatis munere relevati. Per &c.

VII. *Item alia.*

Deus, qui nos ad Sancti Pontificis & Martyris tui Xyſti natalitia tribuiſti pervenire lætantes: præſta, quæſumus, ut

ſicut

ſicut ſecuris eadem mentibus, ita dignis celebremus officiis. Per &c.

Accipe munera, Domine, quæ in eorum tibi ſolemnitate deferimus, quorum ſcimus patrociniis liberari. Per &c.

Verè dignum. Cognoſcimus enim, Domine, tuæ pietatis effectus, quibus nos adeo glorioſi Sacerdotis & Martyris tui Xyſti ſemper honoranda ſolemnia, nec inter præteritas Mundi tribulationes, omittere voluiſti, & nunc reddita præſtas libertate venerari. Per &c.

In Natali Sanctorum Feliciſſimi & Agapiti.

Magnificantes, Domine, clementiam tuam, ſupplices exoramus, ut qui nos Sanctorum tuorum frequentibus facis natalitiis intereſſe, perpetuis tribuas gaudere conſortiis. Per &c.

Da nobis, omnipotens Deus, in Sanctorum tuorum te ſemper commemoratione laudare; quia refovere curabis, quos in honore tuo perſeverare conceſſeris. Per &c.

Accepta tibi ſit, Domine, ſacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium. Per &c.

Verè dignum. Qui nos ſanctorum Feliciſſimi & Agapiti feſta ſemper optanda feciſti celebrare gaudentes; & qui dediſti fidem inter adverſa conſtantem, reddes beneficia, (*a*) munera, libertatis. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut quorum memoriam ſacramenti participatione recolimus, fidem quoque proficiendo ſectemur. Per &c.

Reſpice ſubditam tibi, Domine, familiam tuam, & cujus exaudire preces in mœrore dignatus es, actionem gratiarum propenſius intuere. Per &c.

IV. Idus Auguſti.

Natale Sancti Laurentii.

Deus, qui nos ſanctorum Martyrum munitione conſervas,

(a) Munera *ſuperabundat ex varianti lectione*,

vas, da, Eccleſiam tuam digne talium celebrare ſolemnia, & illos tibi jugiter ſupplicare pro nobis. Per &c.

Verè dignum. Prævenientes Natalem diem beati Laurentii, qui Levita ſimul Martyrque venerandus & proprio claruit glorioſus officio, & memoranda refulſit paſſione ſublimis. Per &c.

Sumſimus, Domine, pignus redemtionis æternæ. Sit nobis, quæſumus, intervenientibus Sanctis tuis, vitæ præſentis auxilium, pariter & futuræ. Per &c.

Adeſto, Domine, Populo tuo, & quem Sanctorum tuorum tribuis frequentationibus intereſſe, protectione perpetua fac ſecurum. Per &c.

II. *Item alia*.

Concede nobis, Domine, gratiam tuam in beati Laurentii Martyris celebritate multiplicem; ut de tanti agone certaminis diſcat Populus Chriſtianus & firma ſolidari patientia, & pia exſultare victoria. Per &c.

Pro beati Laurentii Martyris paſſione veneranda, hoſtias tibi, Domine, ſuppliciter immolamus, ejus oratione placituras, pro cujus meritis offeruntur. Per &c.

Verè dignum. Et tuam magnificentiam propenſius exorare, qui nobis hunc diem Sancti Laurentii martyrio tribuiſti venerandum: quem ita omni genere pietatis imbueras, ut idem tibi ara atque ſacrificium, idem Sacerdos eſſet & Templum. Per &c.

Satiaſti, Domine, familiam tuam muneribus ſacris. Ejus, quæſumus, ſemper interventione nos refove, cujus ſolemnia celebramus. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, Eccleſiæ tuæ votis propitiatus aſpira; ut beati Laurentii Martyris meritis adjuvetur, cujus paſſione lætatur. Per &c.

Item

III. *Item alia*.

(*a*) Magnificaſti, Domine, Sanctos tuos ſuſcept à paſſione pro Chriſto. Præſta, quæſumus, ut &c.

Verè dignum. Quoniam tu es omnium Sanctoru m inſuperabilis fortitudo, qui inter mundanæ converſationis adverſa, præcipua nos beatorum Martyrum glorificatione ſolaris, & ad ſublimia exempla patientiæ, triumpho nos ſancti Laurentii, quem hodie celebramus, accendis. Per &c.

Repleti, Domine, donis tuis in tuorum feſtivitate Sanctorum: præſta, ut hæc ſancta myſteria, quæ celebramus votis, experiamur auxiliis. Per &c.

IV. *Item alia*.

Suſcipe, quæſumus, Domine, munera pro Sanctorum tuorum commemoratione exſultanter oblata; & quod illos fecit paſſione glorioſos, nos devotione reddat innocuos. Per &c.

Verè dignum. Quoniam tuis donis atque muneribus, beati Laurentii Martyris paſſionem hodierna ſolemnitate veneramur, qui pro confeſſione Jeſu Chriſti Filii tui, diverſa ſupplicia, ſpiritu fervente, ſuſcipiens, ſubjectos ignes, & crudeli ingenio perſequentum mutata tormenta, immutabili virtute ſuperavit, ac fluentibus membris, ſolida parte victor mente permanſit. Per &c.

Excita, Domine, in Eccleſia tua Spiritum, cui ſanctus Laurentius Levita ſervivit; ut, eodem nos replente, ſtudeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit. Per &c.

V. *Item alia*.

Accepta tibi ſit, Domine, noſtræ ſervitutis oblatio; & ſalutaris nobis, beati Laurentii precibus, pro cujus commemoratione defertur, exiſtat. Per &c.

Vere dignum. Quo pietatis officio, pro ſolemnitate ſancti

(a) *Eamdem habes ſupra in ſecunda Miſſa Sancti Xyſti, VIII. Idus Auguſti.*

ĉti Laurentii Martyris, ſacrificium tibi laudis offerimus: quia tua factum eſt operante virtute, ut nullis calumniis impiorum, nulla ſævitia perſequentum, nulla dirarum atrocitate pœnarum, vir tuo ignitus Spiritus vinceretur. Per &c.

V I. *Item alia.*

Oblata tibi, Domine, munera Populi tui pro tuorum honore Sanctorum ſuſcipe propitius, quæſumus, & eorum nos interceſſione ſanctifica. Per &c.

Verè dignum. Beati Laurentii annua vota repetentes. Qui diſpenſator egregius, & uſque ad ſanguinem, nominis tui Confeſſor eximius, ſimul in alendis pauperibus, Eccleſiaſticæ pietatis, & teſtificationis Filii tui Domini noſtri, præbuit Martyr beatus exemplum. Per &c.

Adeſto, Domina, ſupplicationibus noſtris, & interceſſione ſancti Laurentii Martyris tui, perpetuam nobis miſericordiam benignus impende. Per &c.

V I I. *Item alia.*

Accipe, quæſumus, Domine, munera dignanter oblata; & beati Laurentii ſuffragantibus meritis, ad noſtræ ſalutis auxilium provenire concede. Per &c.

Verè dignum. Et pro honore beati Laurentii Martyris tui hoſtias tibi laudis offerimus. Per &c.

Repleti guſtu gratiæ tuæ, & cæleſtis menſæ dulcedine vegetati, gratias tibi referimus. Per &c.

Annue, quæſumus, Domine, præcibus familiæ tuæ; & quod noſtris actibus non meremur, Sanctorum tuorum nobis concede ſuffragiis. Per &c. V I I I. *Item aliæ.*

Cum ſanctorum tuorum, Domine, ſupplicationibus imploramus, ut ſacris muneribus offerendis gratam tibi noſtri miniſterii facias ſervitutem. Per &c.

Verè dignum. Quidquid enim Sanctorum tuorum meritis adhibemus, ad tuam laudem recurrit & gloriam; qui in eorum ſemper es virtute mirabilis. Per &c.

San-

Sancti Laurentii nos, Domine, precatio juſta tueatur; & quod noſtra conſcientia non præſumit, ejus nobis, qui tibi placuit, oratione donetur. Per &c.

IX. *Item alia.*

Supplices te rogamus, Deus, ut interventu beati Laurentii Martyris, & tua in nobis dona multiplices, & tempora noſtra diſponas, Per &c.

Debitum noſtræ reddimus ſervitutis, ſuppliciter exorantes, ut ſuffragiis ejus in nobis tua munera tuearis, pro cujus honoranda confeſſione hoſtiam tibi laudis offerimus. Per &c.

Verè dignum. De tua miſericordia poſtulantes, ut quorum ad honorem nominis tui merita celebramus, pia quoque opera nitamur imitari. Per &c.

Tuere nos, Domine, precibus Sancti Laurentii Martyris tui; ut gratia tua ſemper mereamur augeri, qui talium præſidiis confidimus patronorum. Per &c.

X. *Item alia.*

Læta nos, Domine, quæſumus, Sancti Laurentii Martyris tui feſtivitas ſemper excipiat; quæ & jucunditatem nobis ſuæ glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos. Per &c.

Perfice nobis, Domine, fructum gratulationis hodiernæ; ut præcibus beati Laurentii Martyris tui, ejus Natalitia votiva præcurrens, perfectis gaudiis expleatur oblatio Per &c.

Verè dignum. Tuam miſericordiam deprecantes, ut mentibus noſtris beati Laurentii Martyris tui tribuas jugiter ſuavitatem, qua & nos amemus ejus meritum paſſionis, & indulgentiam nobis ſemper fidelis ille Patronus obtineat. Per &c.

Gratias tibi, domine; quoniam Sanctum Laurentium Martyrem tuum, te inſpirante diligimus; ut ejus Natalitia præeuntes, piis ſemper interceſſionibus foveamur & meritis. Per &c.

Item

XI. *Item alia.*

Auge, quæſumus, Domine, fidem Populi tui, de Sancti Laurentii Martyris feſtivitate conceptam; ut ad confeſſionem tui nominis nullis properare terreamur adverſis, ſed tantæ virtutis intuitu potius incitemur. Per &c.

Adſint nobis, Domine, patrocinia tibi grata Sanctorum; ut quæ pro illorum ſolemnitate deferimus, eorum commendet oratio. Per &c.

Verè dignum. In die ſolemnitatis hodiernæ, qua beati Laurentii hoſtiam tibi placitam caſti corporis glorioſo certamine ſuſcepiſti. Prunis namque ſuperpoſita ſtridebant membra viventia; nec tamen erat pœna patientis, ſed piæ confeſſionis incenſum. Neque terreno liberari cruciatu Martyr optabat, ſed coronari deprecabatur in cælis. Per &c.

XII. *Item alia.*

Annue, quæſumus, Domine, precibus noſtris, ut Sancti Laurentii Martyris tui ſolemnia, quæ cultu tibi debito prævenimus, proſpero ſuſcipiamus effectu. Per &c.

Muneribus noſtris, Domine, Sancti Laurentii Martyris tui feſta præcedimus, ut quæ conſcientiæ noſtræ præpediuntur obſtaculo, illius meritis grata reddantur. Per &c.

Verè dignum. Quamvis enim Sanctorum tuorum, propagante te, Domine, toto Orbe data ſit gloria; de beati tamen ſolemnitate Laurentii peculiarius præ ceteris Roma lætatur; cujus naſcendo Civis, ſacer Miniſter, dedicatum nomini tuo munus eſt proprium. Qui per tuam gratiam, commiſſæ ſibi diſpenſationis exſequutor egregius, ut ad Martyrium perveniret; emeruit pro præmio, & quò cæleſtis exiſteret conſequutus eſt paſſionem. Per &c.

Interceſſio beati Laurentii Martyris tui, Domine, de ſua nobis confeſſione naſcentium mereatur plenitudinem gaudiorum. Per &c.

Exultet Populus tuus, Domine, quæſumus, in Sancti com-

commemoratione Laurentii ; & cujus de votivo lætatur officio, ſuffragio relevetur optato. Per &c.

X I I I. *Item alia.*

Adſit nobis, Domine, ſancti Laurentii Martyris in tua glorificatione benedictio, cujus nobis eſt hodie facta ſuffragium in tua virtute confeſſio. Per &c.

Offerimus hoſtias, Domine, in ſancti Laurentii Martyris tui hodierna confeſſione gaudentes, quæ nobis, operante te, & auxilium contulit & profectum. Per &c.

Verè dignum. Pretioſam mortem Sancti Laurentii Martyris tui exſultantibus animis celebrantes quam, te vincente, Diaboli cernimus eſſe victricem. Per &c.

Da nobis, omnipotens Deus, ut beati Laurentii Martyris tui veneranda ſolemnitas & devotionem nobis augeat & ſalutem. Per &c.

X I V. *Item alia.*

Sanctorum tuorum nos, Domine continua ſolemnitate comitare ; ut qui noſtris meritis impedimur, eorum, qui tibi placuerunt, precibus adjuvemur. Per &c.

Ut ſacrificia noſtra, Domine, propitiatus intendas, Sancti Laurentii nos Martyris tui commendet oratio. Per &c.

Verè dignum. Quia in Sanctorum tuorum ſemper es virtuteglorioſus. Et quoties illorum feſta recolimus, te mirabilem confitemur. Per &c.

Sancti Laurentii nos, Domine, ſolemnitas repetita tueatur, & miſericordiæ tuæ interceſſio beata conciliet. Per &c.

Idibus Auguſti.

Natale Sanctorum Hippolyti & Pontiani.

I.

Deus, qui nos in Sanctorum Martyrum multiplicatione cuſtodis, da, ut quorum ſolemnia frequentamus, inceſſabili juvemur auxilio. Per &c.

Reſpice, Domine, munera Populi tui, Sanctorum feſtivi-

ſtivitate votiva ; & tuæ teſtificatio veritatis nobis proficiat ad ſalutem . Per &c.

(*a*) Verè dignum . Tibi enim , Domine ; feſtiva ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur , quam Sancti Hippolyti Martyris tui ſanguis in veritatis tuæ teſtificatione profuſus magnifico nominis tui honore ſignavit . Per &c.

Sacro munere ſatiati , ſupplices , Domine , deprecamur, ut quod debitæ ſervirtutis celebramus officio , ſalvationis tuæ ſentiamus augmentum . Per &c.

Deus , qui Eccleſiam tuam innumeris Sanctorum patrociniis & glorificas & tueris : præſta , ut quorum celebrat conventum , experiatur devota ſuffragium . Per &c.

II. *Item alia* .

Perpetuis nos , Domine , Sanctorum tuere præſidiis ; & quanto fragiliores ſumus , tanto magis neceſſariis attolle ſuffragiis . Per &c.

Quæſumus , omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum cæleſtibus myſteriis celebrata ſolemnitas indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat . Per &c.

Verè dignum . Qui non ſolùm malis noſtris bona retribuis , ſed ut miſeris uberiora dona concedas , qui digne pro nobis poſſint intercedere , contuliſti ; & quod noſtra conſcientia non habebat , interceſſio ſupplet tibi grata juſtorum . Per &c.

Sancti Martyris (*b*) Agapiti , Domine , quæſumus , veneranda feſtivitas , ſalutari auxilii nobis præſtet augmentum . Per &c.

Plebs tua , Domine , lætetur tuorum ſemper honore Sanctorum ; & eorum percipiat interceſſione votiva ſubſidia , quorum patrociniis gratulatur . Per &c.

III. Ka-

(a) *Vide ſupra Præfationem Miſſæ Quintæ Sancti Xyſti* .

(b) *Legendum* Hippolyti ; *nam Miſſa Natalis Sancti Agapiti concurrit cum die VI. Auguſti* .

III. Kalendas Septembris.

Natale Sanctorum Adaucti & Felicis.

I.

Da nobis, omnipotens Deus, ut eorum ſemper feſta ſectemur, quorum digna pro nobis interventione confidimus. Per &c.

Sanctorum Felicis & Adaucti natalitia recenſentes, munus offerimus, quod eorum tibi, Domine quæſumus, interceſſione ſit gratum. Per &c.

Verè Dignum. Sanctorum Martyrum gloriam cum exſultatione recolentes; in quibus mirabiles tuæ majeſtatis effectus, & patrocinia nobis proviſa cognoſcimus. Per &c.

Gratias tibi referimus, Domine, qui nos & cæleſtis participatione Sacramenti, & tuorum reficis celebritate juſtorum. Per &c.

II. *Item alia.*

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut ſicut nos jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita ſemper ſupplicatione defendas. Per &c.

Tanto placabiles, quæſumus, Domine, noſtræ ſint hoſtiæ, quanto ſanctorum Martyrum tuorum, pro quorum ſolemnitatibus exhibentur, tibi grata ſunt merita. Per &c.

Verè dignum. Quamvis enim ſemper in tui gaudeamus actione myſterii, copioſius tamen ejus munere gratulamur, quum pro Martyrum ſolemnitate ſanctorum, per quos tibi commendamur, offertur. Per &c.

Donis cæleſtibus, cum Sanctorum tuorum recordatione, ſatiati, gratias tibi referimus. Per &c.

Pro familia tua, Domine, quæſumus, ſanctorum Martyrum venerabilis intercedat oratio; ut quorum ſolemnia devota mente non deſerit, eorum piis adjuta præſidiis, & conſolationem referat & ſalutem. Per &c.

III. *Item alia*.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut non deſinant Sancti tui pro noſtris ſupplicare peccatis, à quibus tu voluiſti pro peccatoribus exorari. Per &c.

Præſta nobis, quæſumus, omnipotens Deus, ut noſtræ humilitatis oblatio & pro tuorum grata ſit honore Sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet. Per &c.

Verè dignum. Orantes potentiam tuam, ne dicant Gentes: *ubi eſt Deus eorum?* Sed ut dignanter oſtendas, quia non plus ad perdendum nos valeant noſtra delicta quàm ad ſalvandum, vel patrocinia copioſa juſtorum, vel tuæ majeſtatis invicta clementia. Per &c.

Supplices te rogamus, Deus, ne, aut malis propriis aggravemur, aut infeſtemur ab hoſtibus, qui tantis Sanctorum tuorum meritis commonemur. Per &c.

IV. *Item alia*.

Sanctorum tuorum quæſumus, Domine, quorum nos aſſiduis feſtivitatibus conſolaris, defende præſidiis. Per &c.

Salutari ſacrificio, Domine, Populus tuus ſemper exſultet, quo & debitus honor ſacris Martyribus exhibetur, & ſanctiſicationis tuæ munus acquiritur. Per &c.

Verè dignum. Te in tuorum glorificantes honore Sanctorum; qui & illis tribuiſti beatitudinem ſempiternam, & infirmitati noſtræ talia præparaſti ſuffragia, quæ poſſis audire pro nobis. Per &c.

Exaudi, Domine, quæſumus, preces noſtras, ut Populus tuus, ſub tantis patrociniis conſtitutus, & à ſuis offenſionibus liberetur, & ab omnibus protegatur adverſis. Per &c.

V. *Item alia*.

Accepta ſit in conſpectu tuo, Domine, noſtra devotio; ut eorum nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro quorum ſolemnitate defertur. Per &c.

Verè dignum. Sacrificium quippe ſuum hodie frequentat

Eccle-

Eccleſia, & feſtivitatem dudum muneris immolati annua feſtivitate concelebrat; quo, pro ejus confeſſione vel nomine, qui eam ſanguine ſuo redemit, impenſo, obſequium proprii cruoris exhibuit. Per &c.

V I. *Item alia.*

Sanctorum tuorum nobis, Domine, pia non deſit oratio, quæ & munera noſtra conciliet, & tuàm nobis indulgentiam ſemper obtineat. Per &c.

Verè dignum. Qui Eccleſiæ tuæ, toto Orbe propagandæ, non ſo lùm tui Unigeniti Paſſionem ſempiterna providentia contuliſti, ſed ad majorem gloriam conferendam, mutuas mortes tibi impendere pretioſa devotione tribuiſti. Per &c.

Votiva, Domine, dona percepimus, quæ Sanctorum nobis precibùs & præſentis, quæſumus, vitæ, pariter & æternæ tribue conferre præſidium. Per &c.

VII. *Item alia.*

Adeſto, Domine, Populo tuo, & concede miſericordiam tuam cum Sanctorum tuorum patrociniis ſupplicanti; ut, quia tua gubernatione confidit, nullis adverſitatibus opprimatur. Per &c.

Verè dignum. Ecce enim, ſicut ſacer ſermo pronuntiat, *pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Nec poteſt ullatenus explicari, quibus modis hæc interfectio glorioſa penſetur. Moriuntur abjecti, & orbis terrarum capiunt Principatum. Moriuntur mundanæ eruditionis ignari, & exeunt doctrinæ cæleſtis Auctores. Moriuntur captores piſcium, & efficiuntur hominum piſcatores. Moriuntur, ſoliti maria perſcrutari mediocris artis officio, & redduntur Sæculi examinatores & judices. Et ideo cum Angelis &c.

MENSE SEPTEMBRI.

XVIII. Kalendas Octobris.
Natale Sanctorum Cornelii & Cypriani.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos multiplici Sanctorum tuorum feſtivitate lætificas: præſta, ut quorum commemoratione gaudemus, præſidio muniamur. Per &c.

Oblationes Populi tui, Domine, quæſumus, placatus intende; quibus & ſanctorum Martyrum celebramus in honorem tui nominis paſſionem, & nobis indulgentiam ſuppliciter imploramus. Per &c.

Preces H̄. (*) *in Sancta Euphemia.*

Verè dignum. Immenſa ſunt enim opera tua, & verè magna, (*a*) (mirabilia). Tibi hominem, diabolica quondam fraude proſtratum, ſic per Jeſum Chriſtum Filium tuum, Dominum noſtrum, ſui tribuiſti victoris eſſe victorem, (*b*) hunc eundem ejus adverſarium; ut eum non ſolùm virilis ſexus tuorum deinceps fidelium ſubjugaret, ſed etiam fœminea ſuperaret infirmitas; & quæ eſt in ſua conditione fragilior, ſubſtantiæ ſpiritalis inimico fortior redderetur: deceptionemque Evæ matris ulciſcens, de hoſte generis humani, qui aditum per illam mortis invenerat, triumpharet; quas ineffabilis gloriæ tuæ vices in ſanctæ Martyris Euphemiæ paſſione venerantes (*c*). Per &c.

Acci-

(*) Preces H. *hoc eſt* habendæ, *dicendæ, recitandæ potius in Miſſa Sanctæ Euphemiæ, cui totus Præfationis hujus contextus convenit.*

(a) Mirabilia, *varians lectio.*

(b) *Locum hunc ita reſtitue:* victorem, ut hunc eumdem ejus adverſarium non ſolùm virilis ſexus tuorum &c.

(c) *Mihi magis placeret* veneramur.

Accipe, Domine, quæſumus, noſtræ ſervitutis officia; ut, ſuffragantibus Sanctis, quod ad honorem tuæ majeſtatis offerimus, perpetuam nobis conferant vitam. Per &c.

Perceptis, Domine, cæleſtibus Sacramentis, gratias agimus pio nomini tuo; qui & Sanctorum tuorum nos aſſidua feſtivitate comitaris, & divino munere vivificare non deſinis. Per &c.

Reſpice propitius, Domine, ad debitam tibi tui Populi ſervitutem; ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adverſitatibus opprimatur, qui de tua protectione confidit. Per &c.

Item alia.

Beatorum Martyrum, pariterque Pontificum Cornelii & Cypriani nos, Domine, quæſumus, feſta tueatur, & eorum commendet oratio veneranda atque lætificet. Per &c.

Plebis tuæ, Domine, munera benignus intende, quæ majeſtati tuæ pro ſanctorum Martyrum Cornelii & Cypriani ſolemnitatibus ſunt dicata. Per &c.

Verè dignum. Tuamque in ſanctis Martyribus Cornelio, ſimul etiam Cypriano, prædicare virtutem, quos diſcretis Terrarum partibus greges ſacros divino pane paſcentes, una Fide, eademque die, diverſis licèt temporibus, conſonante, parique nominis tui confeſſione coronaſti. Per &c.

Sacro munere vegetatos ſanctorum Martyrum Cornelii & Cypriani Natalitia nos tibi, Domine, quæſumus, commendet oratio. Per &c.

Ad defenſionem fidelium, Domine, quæſumus, dexteram tuæ majeſtatis extende; & ut perpetua pietatis tuæ protectione muniantur, interceſſio pro his non deſit Martyrum continuata Sanctorum. Per &c.

XVI. Kalendas Octobris.

In Natali Sanctæ Euphemiæ.

I.

Præſta, Domine, quæſumus, ut ſicut Sanctorum tuorum Nata-

Natalitia celebranda non deſerunt, ita jugiter ſuffragia comitentur. Per &c.

Gratanter ad munera dicanda concurrimus, quæ nomini tuo, Domine, pro ſolemnitate ſantæ Martyris Euphemiæ ſupplices immolamus. Per &c.

Verè dignum. In hac celebritate gaudentes, qua Sancti Spiritus fervore præclarus beatæ Martyris Euphemiæ ſexus fragilitate pretioſior ſanguis effloruit, & virtute fœminea rabiem diabolicæ perſequutionis elidens, geminatæ gloriæ triumphum virginitas implevit & paſſio. Per &c.

II. *Item alia*.

Suſcipe, Domine, quæſumus, hoſtias lætantis Eccleſiæ, quas pro ſanctæ Martyris Euphemiæ natalitia paſſione majeſtati tuæ promta devovit. Per &c.

Verè dignum. Sanctæ Martyris Euphemiæ Natalitia recolentes rerum diverſitate mirabili: ut Diabolus, qui virum per imbecillitatem mulieris impulerat in ruinam, viri conditione mutata nunc in Chriſto reparante victoriam, per muliebrem quoque fragilitatem mutuo dejiceretur obtritus. Per &c.

III. *Item alia*.

Sacrificium tibi, Domine, noſtræ ſervitutis offerimus, quod ad honorem nominis tui in ſanctæ Martyris Euphemiæ feſtivitate debemus. Per &c.

Verè dignum. Hodiernæ feſtivitatis lætitiam recenſentes, quam nobis ſanctæ Martyris Euphemiæ veneranda confeſſio fecit inſignem. Per &c.

Sanctificet nos, Domine, quæſumus, tui perceptio Sacramenti; & interceſſio ſanctæ Martyris Euphemiæ tibi reddat acceptos. Per &c.

Exſultet, Domine, Chriſtianæ plebis humilitas, quia in Martyrum commemoratione Sanctorum tua mirabilia veneratur; & eorum tibi precibus adjuta complaceat. Per &c.

Pri-

Pridie Kalendas Octobris.

Natale Baſilicæ Angeli in Salaria.

Omnipotens ſempiterne Deus, apud quem, quum totius rationabilis pia merita creaturæ ſemper accepta ſint, certum eſt, magis eſſe præcipua, quæ reliquam ſpiritalem ſuperant dignitatem: grata tibi ſit, quæſumus, noſtra feſtivitas, pro veneratione ejus oblata, qui tuæ majeſtatis arcanis, naturali per tuam gratiam decore ſervato, devotis ſemper excubiis eſt propinquus. Per &c.

Hoſtias tibi, Domine, laudis offerimus; ſuppliciter deprecantes, ut eaſdem, Angelico pro nobis interveniente ſuffragio, & placatus accipias, & ad ſalutem noſtram provenire concedas. Per &c.

Verè dignum. Teque profuſis gaudiis prædicare in die feſtivitatis hodiernæ, qua in honorem beati Archangeli Michaelis ſacrata nomini tuo loca divinis ſunt inſtituta myſteriis: quamvis enim illius ſublimis glorioſæque ſubſtantiæ ſit habitatio ſemper in Cælis; tuorum tamen fidelium præſumit affectus, pro tuæ reverentia poteſtatis, per hæc piæ devotionis officia, quoddam retinere pignus in terris adſtantium in conſpectu tuo jugiter miniſtrorum. Et ideo cum Angelis &c.

II. *Item alia.*

Munus Populi tui, Domine, quæſumus, dignanter aſſume; quod non noſtris meritis, ſed ſancti Archangeli tui Michaelis deprecatione ſit gratum. Per &c.

Verè dignum. Teque in omni factura tua laudare mirabilem: in quo principaliter Angelica natura præcellit, quæ, etſi humano generi corporeo (a) conſpectu ſubtrahitur, negatur aſpectu; Fidei tamen videtur intuitu. Dignumque eſt per honorificentiam nos eorum, tuam ſuſpicere majeſtatem, per quos multa præſidia noſtræ ſalutis operaris; tuamque magnificentiam hoc potius prædicare, quòd præcelſarum atque cæle-

(a) Conſpectu ſubtrahitur, *illatum à varianti lectione.*

cæleſtium Poteſtatum te Dominum confitentur. Per &c.

III. *Item alia.*

Oblatio tibi, Domine, ſit noſtra ſemper accepta, quæ Angelis tuis, ſanctiſque precantibus, & indulgentiam nobis referat, & remedia procuret æterna. Per &c.

Verè dignum. Multoque magis in Archangelis, Angeliſque tuis tua præconia non tacere; quia ad excellentiam tuam recurrit & gloriam, cum Angelica creatura, quæ à conditione ſui tuis ſubjecta ſervitiis, probabilis exiſtitit, honoratur; & quum illa ſit digna venerari, tu, quam ſis immenſus, & ſuper omnia præferendus, oſtenderis. Per &c.

Sumſimus, Domine, votiva myſteria. Quæſumus clementiam tuam, ut eorum nobis fiant deprecatione ſalutaria, quorum celebrantur affectu. Per &c.

Defende, Domine, familiam tuam; & toto tibi corde proſtratam ab hoſtium tuere formidine. Nec bona tua difficulter inveniat; pro qua & Sancti tui, & Angelicæ tibi ſupplicant Poteſtates. Per &c.

IV. *Item alia.*

Deus, qui in auxilium generis humani cæleſtia ſimul & terrena diſponis, in inferiore Mundi parte laborantes, ſupernorum nos, quæſumus, præſidiis refove propitius miniſtrorum. Per &c.

In honorem beati Archangeli Michaelis, loca nomini tuo dicata, myſtico frequentamus obſequio. Præſta, quæſumus, eorum nos gaudere ſuffragiis, quorum ſublimia merita recenſemus. Per &c.

Verè dignum. Qui non ſolùm nos Sanctorum tuorum confeſſionibus benigniſſime conſolaris, ſed etiam ad cæleſtium familiaritatem provehis Poteſtatum: non tantum Martyrum interceſſione ſuſtollis, ſed ipſorum quoque patrociniis erigis Angelorum Per &c.

Item

V. *Item alia.*

Sanctorum, Domine, ſancta deferimus: quæ, quum in omnium juſtorum tibi commemoratione ſint placita, multo magis in Angelicæ veneratione ſubſtantiæ grata tuis aſpectibus eſſe confidimus. Per &c.

Verè dignum. Qui ſicut nos per Apoſtolum tuum dignanter informas, jam converſationem noſtram in Cælis eſſe: benignus inſtituis, ut illuc attollamur mente, ubi, quos veneramur, aſſiſtunt, & in excelſa tendamus, quæ in beati Archangeli Michaelis feſtivitate contemplamur affectu. Per &c.

Beati Archangeli Michaelis interventione ſuffulti, ſupplices, Domine, te precamur, ut, quos honore proſequimur, contingamus & mente. Per &c.

Plebem tuam, quæſumus, Domine, perpetua pietate cuſtodi; ut ſecura ſemper, & neceſſariis adjuta ſubſidiis, Spirituum tibimet placitorum pia ſemper veneratione lætetur. Per &c.

Admonitio Jejunii Menſis Septimi;
Et Orationes & Preces.

Annua nobis eſt, dilectiſſimi, Jejuniorum celebranda feſtivitas, quam Menſis ſeptimi ſolemnis recurſus indicit. Quarta igitur & ſexta Feria ſuccedente ſolitis eamdem conventibus exſequamur; Sabbatorum die heic ſacras acturi Vigilias, ut per obſervantiam competentem, Domino purificatis mentibus ſupplicantes, beatiſſimo Petro Apoſtolo ſuffragante, & preſentibus periculis exui mereamur, pariter & futuris. Per &c.

I.

Deus, qui delinquentes perire non pateris, donec convertantur & vivant, debitam, quæſumus, peccatis noſtris ſuſpende vindictam; & præſta propitius, ne diſſimulatio cumulet ultionem, ſed ut potius emendatio proſit ad veniam. Per &c.

Populi tui, Deus, defenſor & rector, concede propitius,

ut à delictis omnibus abſtinentes, & neceſſariis foveamur alimentis, & ab infeſtis hoſtibus liberemur. Per &c.

Super oblata.

Præſta nobis, omnipotens Deus, ut dicatum nomini tuo Sacrificium purgatis moribus offeramus. Per &c.

Verè dignum. Quia tu quidem nobis jejunia ſalubriter indixiſti, quibus, carnis lege ſedata, purior animus emineret. Sed quum in ipſis noſtris obſervationibus à noxiis & illicitis non vacamus, non hoc te Jejunium delegiſſe Prophetica voce teſtaris. Quoniam non ſolùm prodeſſe non poterit caſtigatio corporalis, ſi ſpiritus noſter nefandis cogitationibus implicetur; ſed hoc conſtat eſſe deterius, ſi etiam terrena conditione mitigata, mens ab iniquitatibus non quieſcit. Et ideo tu nobis, Domine, largire placatus, ut exterius parſimonia convenienter adhibita, intrinſecus à pravis intentionibus temperemus, ut continentiam valeamus exercere perfectam. Per &c.

Poſtcommunio.

Annue, quæſumus, Domine, ut & tuis ſemper ſolemnitatibus occupemur, & myſteriis eorum mente pariter congruamus & corpore. Per &c.

Super Populum.

Sanctificata jejunio tuorum corda filiorum, Deus habitator, illuſtra; & quibus præſtas devotionis affectum, præbe ſupplicantibus pium benignus auditum. Per &c.

11. *Item alia.*

Exaudi, Domine, preces noſtras; ut in omni Natione, quod Verbi tui promiſſum eſt Evangelio, compleatur; & plenitudo adoptionis obtineat, quod prædixit teſtificatio veritatis. Per &c.

Intende, quæſumus, Domine, Sacrificium ſingulare; ut hujus participatione myſterii, quæ ſperanda credimus, exſpectata ſumamus. Per &c.

Verè dignum. Tuum eſt enim omne, quod vivimus; quia

licèt

licèt peccati vulnere natura noſtra vitiata ſit, tui tamen eſt operis, ut ad terrena generati, ad cæleſtia renaſcantur.

Viſita, quæſumus, Domine, familiam tuam, & corda ſacris dicata myſteriis pervigili tuere pietate; ut remedia ſalutis æternæ, quæ te miſerante percipiunt, te protegente cuſtodiant. Per &c.

111. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus arbitrio Regnorum omnium jura conſiſtunt, protege Romani nominis ubique Rectores, ut eorum votiva proſperitas, pax tuorum poſſit eſſe Populorum. Per &c.

(*a*) Adeſto, Domine, fidelibus tuis, & quos cæleſtibus inſtituis ſacramentis, (*b*) & quibus ſubſtantiam tribuis corporalem, à terrenis conſerva periculis. Per &c.

Exaudi, Domine, ſupplicum preces, & devoto tibi pectore famulantes perpetua defenſione cuſtodi; ut nullis perturbationibus impediti, liberam ſervitutem tuis ſemper exhibeamus officiis. Per &c.

Verè dignum. Qui rationabilem creaturam, ne temporalibus dedita bonis, ad præmia ſempiterna non tendat, ea diſpenſatione dignaris erudire, ut nec caſtigatione deficiat, nec proſperitatibus inſoleſcat; ſed hoc potius fiat ejus glorioſa devotio, quod nullis adverſitatibus obruta ſuperetur. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed fiat interceſſio ſalutaris ad veniam: ſit abolitio peccatorum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra Mundi pericula firmamentum. Hæc nos Communio purget à crimine, & cæleſtis gaudii tribuat eſſe conſortes. Per &c.

(a) *In Margine*: Ante Cibos.

(b) Et quibus ſubſtantiam tribuis corporalem: *ſunt illata in textum à varianti lectione*.

IV. *Item alia.*

Da nobis, Domine, rationabilem, quæſumus; actionem; ut te ſolum ſincera mente venerantes, & fiducialius, quæ tua ſunt, poſtulemus, & facilius aſſequamur. Per &c.

Omnium noſtrum, Domine, quæſumus, ad te corda converte; ut ab his, quibus offenderis, abſtinentes, non iracundiam tuam, ſed miſericordiam ſentiamus. Per &c.

Munera tua, Deus inſtitutor, illuſtra, & per has hoſtias, quibus te placari voluiſti, ſanctifica miſericors immolantes. Per &c.

Verè dignum. Cujus & potentia ſunt creata, & providentia reguntur univerſa; ideoque hac nos teneri lege merito cenſuiſti, ut te, ſub quo ſunt omnia, non timentes, cuncta paveamus; & rurſus nulla penitus formidemus, ſi unum te fideliter omnium revereamur auctorem. Per &c.

Largire nobis, omnipotens Deus, à quo omne bonum eſt; ut te habentes, nullis indigeamus auxiliis. Per &c.

Tibi placitam, Deus noſter, Populo tuo tribue voluntatem; quia tunc illi proſpera cuncta præſtabis, quum tuis aptum feceris inſtitutis. Per &c.

V. *Item alia.*

Feſtina, quæſumus, ne tardaveris, Domine, & præſidium nobis tuæ pietatis impende; ut opportunis conſolationibus ſubleventur, qui in tua miſeratione confidunt. Per &c.

Devotionis noſtræ tibi, Domine, quæſumus, hoſtia jugiter immoletur; quæ & ſacri peragat inſtituta myſterii, & ſalutare tuum nobis potenter operetur. Per &c.

Verè dignum. Tuaque opera continuatis laudibus prædicare; quia juſta ſemper & bona ſunt. Quæ potenter efficiunt, ut rationabiles voluntates, aut inter iſta proficiant ad ſalutem, aut de cæleſti nullatenus vigore cauſentur. Per &c.

Sit nobis, Domine, quæſumus, cibus ſacer, potuſque ſalutaris, qui & temporalem vitam muniat, & præſtet æternam. Per &c.

Ade-

Adeſto, Domine, famulis tuis, & opem tuam largire poſcentibus; ut his, qui te auctore & gubernatore gloriantur, & creata reſtaures, & reſtaurata conſerves. Per &c.

V I. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cordibus noſtris benignus infunde, ut à terrenis intentionibus temperantes, propenſius cæleſtia meditemur. Per &c.

Multiplices, Domine, incurſus, quos Mundus ingerit, tu repelle; ut hæc dona cæleſtia tranquillis cogitationibus capere valeamus. Per &c.

(*a*) Verè dignum. Qui non tantùm nos à carnalibus cibis, ſed ab ipſius animi noxiis delectationibus præcipis jejunare. Nam ſi ideo delicias corporales abnuimus, ne ſpiritum noſtrum obtuſis ſenſibus hebetemus: quanto magis ab ipſius mentis debemus exceſſibus abſtinere, ut inordinatis affectibus expedita, ſupernæ lucis poſſit pertingere claritatem. Per &c.

Salutari tuo, Domine, ſatiati ſupplices deprecamur, ut cujus lætamur guſtu, renovemur effectu. Per &c.

Da ſalutem, Domine, Populo tuo mentis & corporis, & perpetuis conſolationibus tuorum reple corda fidelium; ut interius exteriuſque relevati, & pia tibi devotione complaceant, & tua ſemper beneficia conſequantur. Per &c.

Tribue, quæſumus, Domine, Deus noſter, ut donis interioribus fœcundemur, ne exterioribus mereamur egere ſubſidiis. Per &c.

V I I. *Item alia.*

(*b*) Da, quæſumus, Domine, ut jejunando robore ſatiemur, & abſtinendo, cunctis efficiamur hoſtibus fortiores. Per &c.

Accepta tibi ſint, Domine, quæſumus, noſtri dona jejunii; quæ & expiando nos, tua gratia dignos efficiant, & ad ſempiterna promiſſa perducant. Per &c.

Verè

(a) *In margine*: In Jejunio.
(b) *In margine*: In Jejunio.

Verè dignum. Cujus ineffabilis ſapientia ſic incommutabiliter perſeverat, ut in ea nec ſine juſtitiæ perpetuitate benignitas, nec abſque æterna ſit bonitate juſtitia. De quibus ita nos miſeranda temeritate conquerimur, quando non ſecundùm noſtra deſideria, vel fructuum qualitas, vel proſpera quæquæ proveniunt, quaſi ipſi tua præcepta ſtudeamus implere; ac non iiſdem potius pernicioſa diſſimulatione contemtis, non ſolùm percelli mediocribus alimentis, ſed univerſa mereamur ſuſtentatione privari; niſi quod ideo tua nos clementia non deſerit; ut ſimus & de exiguitatis caſtigatione ſoliciti, & de non abnegata pietate devoti. Per &c.

Vegetet nos, Domine, ſemper & innovet tuæ menſæ ſacra libatio, quæ fragilitatem noſtram & inter Mundi tempeſtates gubernet & protegat, & in portum perpetuæ ſalutis inducat. Per &c.

Tueatur, Domine, dextera tua Populum deprecantem, Purificet, ſuſtentet, & erudiat, ut conſolatus in præſenti, ad bona futura proficiat. Per &c.

VIII. *Item alia.*

In Jejunio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos ad obſervantiæ hujus annua feſta perducis: concede propitius, ut piæ devotionis effectus ſubſtantiam nobis & mentium præſtet & corporum: Per &c.

(*a*) Deus, qui pro noſtrorum fructibus animorum prodire facis ſufficientiam corporalem: ne exterioribus mereamur egere ſubſidiis, præſta, quæſumus, ut donis interioribus fœcundemur. Per &c.

Domine Deus noſter, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ præſidium condidiſti, tuo quoque nomini munera juſſiſti dicanda conſtitui: tribue, quæſumus, ut & vitæ nobis præſentis auxilium, & æternitatis efficiant Sacramentum. Per &c. Verè

(a) *In margine:* Ante cibos.

Verè dignum. Paſcunt enim tua ſancta jejunia, & eſurientes ſacrata libatio nos reficit; ſi per continentiam ſalutarem conſcientiæ noſtræ tribuli ſpinæque deficiant, & fruges pura ſuccedat; ſi vitiorum ſterilitas optanda proveniat, & ubertas adſit jucunda virtutum. Inopia quippe culparum præſtat redundantiam proſperorum. Hinc eſt, quod reſtringendo copias, & mediocria non negando, ſic nos tua moderatione diſponis, ut ad ſuperna tendentes, & temporalibus uſquequaque non deſeramur alimentis, & ſuſtentaculis ſic tranſeuntibus gubernemur, ut eorum tenuitate correpti proficiamus æternis. Per &c.

Perpetuo, Domine, favore proſequere, quos reficis divino myſterio; & quos imbuiſti cæleſtibus inſtitutis, ſalutaribus comitare ſolatiis. Per &c.

Defenſio tua, Domine, quæſumus, adſit humilibus, & jugiter protegat in tua miſericordia confidentes; ut neceſſariis, quibus indiget humana conditio, competenter adjuti, ad immortalitatis dona perveniant. Per &c.

Invitatio Plebis.

In jejunio Menſis Decimi.

Hac hebdomade nobis Menſis Decimi ſunt recenſenda jejunia. Quapropter fidem veſtræ dilectionis hortamur, ut eadem quarta & ſexta Feria ſolitis proceſſionibus exſequentes, Sabbatorum die hoc ipſum Vigiliis ſolemnibus expleamus; quatenus Apoſtolicis ſuffragantibus meritis, propitiationem Dei noſtri perſeverantia debitæ ſervitutis obtineat. Per &c.

IX. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos & ſuſtentationibus annuis & ſolemnitatibus conſolaris: præſta, quæſumus, ut quod ex his pro noſtræ converſationis qualitate ſubtrahitur, omnipotentiæ tuæ copia ſuppleatur. Per &c.

Concede, quæſumus, Domine, morum nos correctione relevari; quia quum hæc dona contuleris, cuncta nobis utilia non negabis. Per &c.

Su-

Super oblata.

Deus, qui humani generis utramque ſubſtantiam præſentium munerum & alimento vegetas, & renovas Sacramento: tribue, quæſumus, ut eorum & corporibus noſtris ſubſidium non deſit & mentibus. Per &c.

Verè dignum. Qui ſempiterno conſilio non deſinis regere, quod creaſti. Noſque delinquere manifeſtum eſt, quum ſupernæ diſpoſitionis ignari, de ſecretorum tuorum diſpenſatione cauſamur; ac tunc potius recte ſentire cognoſcimur, quum non noſtra, ſed tua providentia confidentes, pietatem juſtitiamque tuam jugiter perpendimus exorandam: certi, quod qui injuſtos maloſque non deſeris, multo magis quos tuos eſſe tribuiſti, clementi nullatenus gubernatione deſtituis. Per &c.

Poſtcommunio.

Guberna, quæſumus, Domine, temporalibus adjumentis, quos dignaris æternis informare myſteriis. Per &c.

Super Populum.

Rege, Domine, Populum tuum, & gratiæ tuæ, quæſumus, in eo dona multiplica; ut & ab omnibus liber offenſis, & temporalibus non deſtituatur auxiliis, & ſempiternis gaudeat inſtitutis. Per &c.

X. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſic hominem condidiſti, ut temporalibus beneficiis competenter inſtructum ad cæleſtia dona proveheres: præſta, quæſumus, ut ſicut per illicitos appetitus, de indultæ beatitudinis regione decidimus, ſic per alimoniam tuo munere di.tributam, & tranſitoria ſuſtentetur humanitas, & amiſſa recuperetur æternitas. Per &c.

Verè dignum. Glorificantes & de præteritis Creatorem, & de venturis fructibus exorantes; ut quum de perceptis non invenimur ingrati, de percipiendis non judicemur indigni; ſed exhibita potius ſolemni devotione jejunii, cum ſubſidiis corporalibus profectum capiamus animarum. Per &c.

Per-

Percepimus, Domine, glorioſa myſteria, quibus in terris poſitos, jam cæleſtium facias eſſe conſortes. Tu inter iſta, per quæ vivimus, guberna nos, Domine, quæſumus, ut ad illa perducas. Per &c.

Adeſto, Domine, ſupplicibus tuis; & ſpem ſuam in tua miſericordia collocantes tuere propitius; ut à peccatorum labe mundati, in ſancta converſatione permaneant; & conſequentes ſufficientiam temporalem, promiſſionis tuæ perficiantur hæredes. Per &c.

XI. *Item alia.*

Concede, quæſumus, Domine, ut ad preces tuas corda noſtra flectamus; & eſſe tibi poſſibilia cuncta fidentes, non de elementorum profutura nobis ſperemus effectu, ſed de tua virtute ſuppliciter imploremus. Per &c.

Virtutum cæleſtium, Deus qui plura præſtas, quàm petimus, aut meremur: tribue, quæſumus, ut tua nobis miſericordia conferatur, quod noſtrorum non habet fiducia meritorum. Per &c.

(*a*) Deus, qui prævenis vota poſcentium: tribue, quæſumus, ut & corporeis non deſtituamur alimentis, & ab hoſtium formidine liberemur. Per &c.

Domine Deus, qui fragilitati noſtræ quæ congruant, & prævides ſolus & provides: præſta, ut & præſentibus fulciamur auxiliis & inſtruamur æternis. Per &c.

Tua nos, Domine, quæſumus, pietate diſpone, quia nullis egebimus adjumentis, ſi tuæ providentiæ clementia gubernemur. Per &c.

Dirige, Domine, quæſumus Eccleſiam tuam diſpenſatione cæleſti; ut quæ ante Mundi principium in tua ſemper eſt præſentia præparata, uſque ad plenitudinem gloriamque promiſſam, te moderante, perveniat. Per &c.

Tanto, quæſumus, Domine placatus aſſume, quanto ſacran-

(a) *In margine*: Ante cibos.

crandas nomini tuo has ſpecialiter hoſtias indixiſti; ut quidquid noſtræ non expletur ſervitutis officio, indulgentiæ tuæ dignatione penſetur. Per &c.

Verè dignum. Quia tuæ rationis imaginem, mundanis Regionibus conſtitutam, & humanis non deſinis fovere ſubſidiis, & reformare divinis. Conſequens enim fuit, ut tranſactis terræ fructibus, cæleſte ſemen oriretur, & alimonia vitæ mortalis expleta, germen immortalitatis exiſteret. Atque eſcis carnalibus expeditis, cibus naſceretur mirabiliter animarum; ac tempore frumenti, vini, & olei mox peracto, ineffabiliter ederetur, qui filiis Dei, ad ſimilitudinem proficientibus Angelorum, hoc totum, non ſolùm de Cælo ſubſtantia deferret & nomine, ſed panem præberet æternum. Per &c.

Gratiam tuam nobis, Domine, ſemper accumulet divini participatio Sacramenti; & ſua nos virtute mundando, tanti muneris capaces efficiat. Per &c.

Abſolve, Domine, quæſumus, tuorum delicta Populorum; & quod mortalitas contrahit fragilitate, purifica; ut cuncta pericula mentis & corporis, te propellente, declinans, tua conſolatione ſubſiſtat, ac tua gratia promiſſæ redemtionis perficiatur heres. Per &c.

XII. *Item alia.*

Quæſumus, omnipotens Deus, ut & mentes noſtras cæleſtibus corrigas inſtitutis, & beneficia tua non deſinas præſtare correctis. Per &c.

Ad hoſtes noſtros, Domine, ſuperandos, præſta, quæſumus, ut auxilium tuum jejuniis tibi placitis & bonis operibus impetremus. Per &c.

Ad altaria, Domine, veneranda cum hoſtiis laudis accedimus. Fac, quæſumus, ut & indulgentiam tuam nobis concilient & favorem. Per &c.

Verè dignum. Qui nos ideo, collectis terræ fructibus, per abſtinentiam tibi gratias referre voluiſti, ut ex ipſius devotionis

tionis genere noſceremus, non hæc ad exuberantiam corporalem, ſed ad fragilitatis nos ſufficientiam percepiſſe; & quod ex his parcius ſumeremus, egentium proficeret alimento; ut & ſalutaris caſtigatio mortalitatis inſolentiam mitigaret, & pietas imitatores nos tuæ benignitatis efficeret: ſicque donis temporalibus uteremur, ut diſceremus inhiare perpetuis. Per &c.

Proſint nobis, Domine, quæſumus, ſumta Myſteria, pariterque nos & à peccatis exuant, & præſidiis tuæ propitiationis attollant. Per &c.

Reſpice, Domine, familiæ tuæ preces, & opem tribue ſuppliciter imploranti; ut congruis ſubſidiis in confeſſione tui nominis perſeveret. Per &c.

XIII. *Item alia.*

Mores noſtros, Domine, quæſumus, tua pietate compone: ut & nulla nobis dominentur adverſa, & ſalutaria cuncta non deſint. Per &c.

Ut cunctis nos, Domine, foveas adjumentis, tuis apta propitius diſciplinis. Per &c.

Sacrificium deferimus de perceptione tuorum, Domine, præſtitorum; ut percipienda ſecurius uberiuſque ſumamus. Per &c.

Verè dignum. Simulque pro munere generali, quo vivimus, & pro ſingulis quibuſque ſubſidiis tuam munificentiam prædicare; ut non latis ingrati beneficiis, conferendis probemur indigni, meritoque tranſeuntium rerum potius conſolationibus adjuvemur, ſi bona manſura non dignius ſacro jejunio purgatis ſenſibus appetamus. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut temporalibus non deſtituamur auxiliis, quos alimoniis paſcis æternis. Per &c.

Succurre, Domine, quæſumus, Populo ſupplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis; ut ſincera tibi mente devoti, & præſentis vitæ remediis gaudeant & futuris. Per &c.

XIV. *Item alia.*

Ad te corda noſtra, Pater æterne, converte; quia nullis neceſſariis indigebunt, quos tuo cultui præſtiteris eſſe ſubjectos. Per &c.

Deus, qui Populum tuum ſic corripis delinquentem, ut benigna conſolatione non deſeras: da, quæſumus, ut indignatio debita reis precantibus, transferatur ad veniam. Per &c.

Ad preces noſtras, Domine, quæſumus, propitiatus intende; ut ſacris altaribus ſervientes, & Fidei veritate fundati, & mentis ſint puritate conſpicui. Per &c.

Verè dignum. Qui Chriſti tui beata paſſione nos reparas: conſerva in nobis operam miſericordiæ tuæ; ut in hujus celebritate myſterii, perpetua devotione vivamus. Per &c.

Conſecratio Epiſcoporum.

Exaudi, Domine, ſupplicum preces; ut quod noſtro gerendum eſt miniſterio, tua potius virtute (*a*) (peragatur) firmetur. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, munera famuli tui illius, & propitius in eodem dona cuſtodi. Per &c.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro illo famulo tuo, quem ad Pontificalem gloriam promovere dignatus es, quæſumus, Domine, placatus accipias; ut quod divino munere conſequutus eſt, divinis effectibus exſequatur. Per &c.

Adeſto, miſericors Deus, ut quod actum eſt noſtræ ſervitutis officio, tua benedictione firmetur. Per &c.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hos famulos tuos cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eos effunde virtutem. Per &c.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacratis famulantur ordinibus: Deus, qui Moyſen famulum tuum, ſecreti familiaris affatu, inter cetera cæleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſti-

(a) Peragatur *eſt varians lectio.*

inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra juſſiſti; ut intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſequutura poſteritas; ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati; quum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animorum; quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipſis erant intelligenda, poſcebant.

Et idcirco his famulis tuis, quos ad ſummi Sacerdotii miniſterium delegiſti, hanc, quæſumus, Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in horum moribus actibuſque clareſcat. Comple in Sacerdotibus tuis myſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructos, cæleſtis unguenti fluore ſanctifica. Hoc, Domine, copioſe in eorum caput influat; hoc in oris ſubjecta decurrat; hoc in totius corporis extrema deſcendat; ut tui Spiritus virtus & interiora horum repleat,& exteriora circumtegat. Abundet in his conſtantia Fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Tribuas eis Cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Sis eis auctoritas, ſis eis poteſtas, ſis eis firmitas. Multiplices ſuper eos benedictionem & gratiam tuam,ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam, tuo munere idonei, tua gratia poſſint eſſe devoti. Per &c.

Benedictio ſuper Diaconos.

Domine Deus, preces noſtras clementer exaudi: ut quæ noſtro ſunt gerenda ſervitio, tuo proſequaris benignus auxilio; & quos ſacris miniſteriis exſequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione juſtifices. Per &c.

Oremus, dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos ad officium Diaconii vocare digna-

gnatur; benedictionem gratiæ ſuæ clementer effundat, & conſecrationis indultæ propitius dona conſervet. Per &c.

Deus, conſolator ſacrarum magnifice Dignitatum, quæſumus, ut hos famulos tuos, quos ad officium Levitarum vocare dignaris, altaris ſancti miniſterium tribuas ſufficienter implere; cunctiſque donis gratiæ redundantes, & fiduciam ſibi tuæ Majeſtatis acquirere, & aliis præbere facias perfectæ devotionis exemplum. Per &c.

Adeſto, quæſumus, omnipotens Deus, bonorum dator, ordinum diſtributor, officiorumque diſpoſitor. Qui in te manens, innovas omnia, & cuncta diſponens per Verbum Virtutem, Sapientiamque tuam Jeſum Chriſtum, Filium tuum, Dominum noſtrum, ſempiterna providentia præparas, & ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſas. Cujus corpus Eccleſiam tuam, cæleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorumque connexam diſtinctione membrorum, per legem totius mirabilem compagis unitam, in augmentum Templi tui creſcere dilatarique largiris; ſacri muneris ſervitutem trinis gradibus Miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens; electis ab initio Levi filiis, qui myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæſumus, Domine, placatus intende, quos tuis ſacris Altaribus ſervituros, in officium Diaconii ſuppliciter dedicamus. Et nos quidem, tamquam homines, divini ſenſus & ſummæ rationis ignari, horum vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem, Domine, quæ nobis ſunt ignota, non tranſeunt: te occulta non fallunt. Tu cognitor peccatorum: tu ſcrutator es animorum: tu veraciter in eis cæleſte potes adhibere judicium; ut vel indignis donare, quæ poſcimus... Emitte in eos, Domine, quæſumus, Spiritum Sanctum, quo, in opus miniſterii fideliter exſequendi, munere ſeptiformi tuæ gratiæ roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, aucto-

ritas

ritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritalis obſervantia diſciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant; ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctæ plebis acquirant, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeverent, digniſque ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per &c.

Conſecratio Presbyteri.

Oremus, Dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos ad Præsbyterii munus elegit, cæleſtia dona multiplicet: quibus, quod ejus dignatione ſuſcipiunt, ejus exſequantur auxilio. Per &c.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem Sancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem; ut quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetua muneris tui largitate proſequaris. Per &c.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bonorum omnium, & omnium dignitatum, quæ tibi militant, diſtributor: per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationabilis incrementis per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Unde Sacerdotales gradus, & officia Levitarum, ſacramentis myſticis inſtituta, creverunt; ut, quum Pontifices ſummos regendis Populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis & operis adjumentum ſequentis Ordinis viros & ſecundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per ſeptuaginta virorum prudentum mentes Moyſi ſpiritum propagaſti; quibus ille adjutoribus uſus in Populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro, & Ithamar, filiis Aaron, paternæ plenitudlnis abundantiam transfudiſti, ut ad hoſtias ſalutares & frequentioris officii ſacramenta, ſufficeret meritum Sacerdotum.

Hac providentia, Domine, Apoſtolis Filii tui, Doctores Fidei comites addidiſti, quibus illi Orbem totum ſecundis Prædica-

dicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, quæſumus, hæc adjumenta largire; qui quanto magis fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus. Da; quæſumus, Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem. Innova in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis. Acceptum à te, Deus, ſecundi meriti munus obtineant, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent. Sint probi cooperatores Ordinis noſtri. Eluceat in eis totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur. Per &c.

In Natali Epiſcoporum.

I.

Operis tui, Deus, initiator & cuſtos, ſuſcipe gratiarum propitius actionem, quòd, anni curſu remeante, votiva recolimus ſumta primordia Dignitatis; ut quæ tuis ſunt principiis inſtituta, tuis regantur aucta præſidiis. Per &c.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut fidelibus tuis ordinatum præbeamus affectum; eiſque nos ſimiliter diligendi ſpiritum benignus infunde; ut in tua Fide, Spe, & Caritate ſincera Sacrificium tibi placitum deferatur & plebis, & Præſulis. Per &c.

Verè dignum. Teque propenſius exorare, ut in me, quem ad Sacerdotale miniſterium, nullo præditum ſuffragio ſanctitatis, ſed ſola gratiæ dignatione, promoviſti, tua dona proſequendo perficias; & cum provectu temporis, bonorum mihi potius operum des profectum. Hæc namque gloriæ Pontificalis erit vera feſtivitas, hæc certa lætitia, ſi per rationabilem regulam præſidendi, Populus tuus & numero cura regentium, & incrementis gregis, ſalubritas, gaudium erit, & corona Paſtorum. Per &c.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus ac Sacerdos, pro eo quod me, nulla prorſus juſtitia confidentem, ſed ineffabilis miſericordiæ largitate tribuiſti Sacerdota-

dotalem ſubire famulatum; quæſumus, placatus accipias, & tua pietate confirmes, quod es operatus in nobis, dieſque meos clementiſſima gubernatione diſponas. Per &c.

Qua oblatione totius mecum gratulantis Eccleſiæ, tu Deus in omnibus &c.

Omnipotens & miſericors Deus, qui nos ad celebritatem venire hujus diei contuliſti: præſta, quæſumus, ut tui perceptione Sacramenti, & ſecuritas nobis optata (a) (profutura) proveniat, & Religionis integritas. Per &c.

Da, quæſumus, Domine, familiæ tuæ cum ſuis pacem habere Rectoribus; ut quorum honore congaudeant, de eorum ſancta converſatione lætentur; tuaque gratia tribuatur & moderatio gubernantium, & obedientia ſubditorum. Per &c.

11. *Item alia.*

Deus qui magna nimis, & de parvis miranda potenter operaris, miſericordiæ tuæ dona in me placatus exſequere; ut ubi nulla conſcientiæ meæ te digna ſunt merita, ſola pietatis tuæ ſemper clara ſit gratia. Per &c.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui dignaris infima, abjecta non deſpicis: attolle, quos ſuſcitas, & guberna, quos erigis. Da mihi famulo tuo ſufficientiam commiſſi moderaminis. Da Eccleſiæ tuæ pacem, cui me præeſſe voluiſti; ut in uno eodemque ſpiritu ſit tibi grata devotio & plebis & Præſulis. Per &c.

Deus Mundi creator & rector, ad humilitatis meæ preces placatus attende, & me famulum tuum, quem nullis ſuffragantibus meritis, ſed immenſæ largitate clementiæ, cæleſtibus myſteriis ſervire tribuiſti, dignum ſacris altaribus fac miniſtrum; ut quod mea celebrandum voce depromitur, tua potius ſanctificatione firmetur. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, hoſtilia, quæſumus, arma

(a) Profutura, *varians lectio.*

confringe; ut imperturbatis mentibus agere tua ſancta poſſimus. Per &c.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut ab improbis voluntatibus recedentes, præceptorum tuorum rectitudine ſubſequamur; & qui deviis etiam deſiderata concedis, præſta meliora correctis. Per &c.

Omnis à nobis, te, Domine, quæſumus, expiante pravitas humana diſcedat; ut puris ſenſibus & mentibus tua myſteria celebremus. Per &c.

Verè dignum. Majeſtatem tuam cunctis ſenſibus deprecari, ne propriis jucunditatibus occupati, aut familiam diſſimulare commiſſam, aut nitamur vexare ſubjectam; ſed Evangelii tenore monſtrante, conſervis cibaria miniſtrantes tempore competenti, Dominico reperiamur adventu; famuloſque tuos cum dilectione corripere, & cum neceſſaria ſtudeamus amare cenſura; totumque ſervitium delegatum rationabiliter exſequentes, non reatum de neglecto Domini ſubeamus augmento, ſed divinorum nobis multiplicata proveniat diſpenſatio talentorum. Per &c.

Deus, qui nos Sacramentis tuis paſcere non deſiſtis, tribue, quæſumus, ut eorum nobis indulta refectio vitam conferat ſempiternam. Per &c.

Reſpice, Domine, propitius familiam tuam & perpetuam largire miſericordiam ſupplicanti; ut ſine qua nihil poteſt a ſe dignum prorſus efficere per eam ſalutaria tua præcepta, (*a*) quæ præcipis, mereatur implere. Per &c.

III. *Item alia.*

Deus, qui Eccleſiam tuam in dilectione tuæ Divinitatis & Proximi cuncta ſervare cæleſtia mandata docuiſti: da nobis ſpiritum pacis & gratiæ, ut univerſa familia tua & toto tibi corde ſit devota, & pura ſibi voluntate concorde. Per &c.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da nobis.

(a) Quæ præcipis: *varians lectio.*

nobis gratia tuæ dignationis augeri, & mortalitatis conſcientia trepidos, pietatis eruditione confirma; ut te omnia in omnibus operante, profectus gregis tui ſit forma Paſtoris. Per &c.

Domine ſaucte, Pater omnipotens, æterne Deus, gratiæ tuæ in nobis dona proſequere; & quod poſſibilitas non habet fragilitatis humanæ, tuo Spiritu miſeratus impende; ut ſacris altaribus ſervientes, & Fidei integritate fundati, & mentis ſint claritate conſpicui. Per &c.

Deus, qui dierum noſtrorum numeros, temporumque menſuras, majeſtatis tuæ poteſtate diſpenſas: propitius ad humilitatis noſtræ reſpice ſervitutem, ut tuæ pacis abundantia tempora noſtra cumulentur. Per &c.

Deus, qui nec Eccleſiæ tuæ uſque ad conſummationem te Sæculi defuturum, nec Inferni portas Apoſtolicæ confeſſioni prævalituras eſſe promiſiſti: in noſtra quoque perfice propitius infirmitate virtutem, & divinæ pollicitationis effectum, dum etiam infiirmis tuis ineſſe dignaris, oſtende. Quia præſentiam tuam ſine dubitatione ſentimus, quum & ſingulis quibuſque tenporibus convenienter optanda diſpenſas, & nos à totius adverſitatis incurſu perpeti protectione cuſtodis. Per &c.

Memento, Domine, quod es operatus in nobis; & non quid mereamur, ſed collati gratiam tui muneris intuere; ut ſicut me ſacris altaribus tua dignatio Pontificali ſervire præcepit officio, ita dignum præſtet & merito. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine Deus noſter, ut declinemus noxios appetitus, & reatum nobis ingerentia deſideria reſpuamus: quia tunc exteriores hoſtes ſuperare poterimus, ſi vincamus internos. Per &c.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, ut per gratiam tuam noſmetipſos, ſicut te dignum eſt, exibentes, tuis fidelibus miniſtremus rectæ converſationis exemplum. Et Populi

R 2 tui

tui Salvatio ſempiterna fiat præmium Sacerdotis. Per &c.

Purifica nos, miſericors Deus; ut Eccleſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt (*a*) pia ſacra munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores. Per &c.

Verè dignum. Teque de tuis magnificare muneribus. Quis enim hoc dignus exiſtat officio, niſi gratia tuæ miſerationis præventus aptetur? Quum ergo tui doni, non noſtri ſit meriti, tuæ nihilominus gubernationis intererit, ut non ſit negligentibus poena perpetua, ſed potius exſequentibus competenter fiat cauſa remunerationis æternæ. Per &c.

Munerum tuorum, Domine, largitate gaudentes, ſupplices deprecamus, ut quibus donaſti hujus miniſterii facultatem, tribuas ſufficientem gratiam miniſtrandi. Per &c.

Gaudeat, Domine, quæſumus, Populus, tua ſemper benedictione confiſus, & cæleſtium rerum frequentatione proficiat; ut & temporalibus beneficiis adjuvetur, & erudiatur æternis. Per &c.

IV. *Item alia*.

Da nobis, quæſumus, Domine, ſanctæ regimen diſciplinæ; ut per tuam gratiam & moderatio gubernantum & obedientia proveniat ſubditorum. Per &c.

(*b*) Tribue, quæſumus, Domine, fidelibus tuis, ut jejuniis Paſchalibus convenienter aptentur, & ſuſcepta ſolemniter caſtigatio corporalis ad fructum cunctarum tranſeat animarum. Per &c.

Aufer à nobis, Domine, quæſumus, iniquitates noſtras, ut ad ſancta ſanctorum puris mereamur ſenſibus introire. Per &c.

Verè dignum. Qui ſingulis quibuſque temporibus convenienter adhibenda diſpenſas. Aptius ſiquidem atque decentius his diebus Epiſcopalis Officii ſuſcepta principia celebramus, quibus

(a) Pia, *varians lectio*.
(b) *In margine*: In jejunio.

quibus & Eccleſiæ totius obſervantia devota concurrit, & ipſius, cui Sacerdotale miniſterium deputatum eſt, Natale colitur ſacramenti. Dumque reſtrictius caſtigatiuſque viventes in Summi Puntificis proficiendo membra transferimur, adeptum temporaliter hunc honorem, potiùs fieri ſperamus æternum. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut & de noſtræ gaudeamus provectionis augmento, & de congruo Sacramenti Paſchalis obſequio. Per &c.

Benedictionem tuam, Domine, Populo ſupplicanti benignus accumula; ut & de bona converſatione ſui Præſulis ſemper exſultet, & de ſacræ feſtivitatis celebritate lætetur. Per &c.

V. *Item alia*.

Domine Deus, Pater gloriæ, fons bonorum, qui licèt Eccleſiam tuam toto terrarum orbe diffuſam largitate munerum ditari non deſinas, Sedem tamen beati Apoſtoli tui Petri tanto propenſius intueris, quanto ſublimius eſſe voluiſti: da mihi famulo tuo hujus providentiæ tuæ diſpoſitionibus exhibere congruenter officium; certus te univerſis Eccleſiis collaturum, quidquid illi præſtiteris, quam (*) cuncta reſpiciunt. Per &c.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da nobis gratiæ tuæ dignatione augeri &c. (*a*)

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me nulla præditum fiducia meritorum, ineffabilis gratiæ munere, familiæ tuæ præſidere tribuiſti: attolle quos ſuſcitas, & guberna quos erigis; ut quorum auctor tu bonorum, ſis ipſe perfector. Per &c.

(*b*) Deus, cujus univerſæ viæ miſericordia eſt ſemper & veri-

(*) *Legendum videtur*: quam cunctæ reſpiciunt.
(a) *Eadem eſt, ac ſuperior, ſecundum locum tenens in Tertia Miſſa*.
(b) *Hæc parum differt a tertia Orationis ſuperioris Miſſæ III.*

veritas : operis tui dona proſequere ; & quod poſſibilitas non habet fragilitatis humanæ, tuis beneficiis impende ; ut cæleſtibus myſteriis ſervientes, & Fidei integritate fundati, & mentis luceant puritate conſpicui. Per &c.

Domine Deus, Pater gloriæ, fons bonorum &c. (*a*)

Omnipotens & miſericors Deus, qui benigne ſemper operaris, ut poſſimus implere, quæ præcipis : dilectarum tibi ovium adeſto Paſtori ; quia tui eſt muneris, tuæque virtutis, ut & regendi obedientes, & probabiles poſſint eſſe Rectores. Per &c.

Deus miſericors, Rex æterne, da ſervituti noſtræ proſperum curſum. Et ut tibi in populi tui devotione placeamus, tu ſancto præſide gregi ; & ad tuorum obſervantiam mandatorum, tu omnium dirige voluntates. Per &c.

Deus, cujus arbitrio omnium Sæculorum ordo decurrit : reſpice propitius ad noſtræ tempus ætatis. Et ut tibi ſervitus noſtra complaceat, tua in nobis dona conſerva. Per &c.

Deus, dierum temporumque noſtrorum potens & benignus moderator, collatis in me per gratiam tuam propitiare muneribus ; & in hunc affectum dirige cor plebis & Præſulis ; ut nec Paſtoris obedientia gregis, nec gregi deſit cura Paſtoris. Per &c. V. *Item alia.*

Deus, qui propter Eccleſiæ tuæ gubernacula diſponenda, ſic ejus Principes ſublimaſti, ut minimos quoſque non deſeras : præſta, quæſumus, ut Apoſtolicæ Fidei, doctrinæque veſtigia vel longe ſequamur, imitando, quæ, licèt infirmo, comitamur officio. Per &c.

Ad gloriam, Domine, tui nominis, annua feſta repetentes Sacerdotalis exordii : hoſtiam tibi laudis offerimus, ſuppliciter exorantes, ut cujus miniſterii vice tibi ſervimus immeriti ſuffragiis ejus reddantur accepti. Per &c.

Verè

(a) *Repetitionem Orationis hujus in hac eadem Miſſa, Amanuenſium oſcitantiæ non injuria adſcribas.*

Verè Dignum. Cum exultatione trepidos, & cum pavore lætantes. Sicut enim de tuo munere gratulamur, ita de noſtra fragilitate metuimus. Et quantum de humanæ conditionis exceſſibus formidamus, tantum de tua gratia, quæ virtutem perficit in infirmitate, confidimus; propenſius implorantes, ut quem tantæ Sedis honore decoraſti, moribus exiſtere non patiaris indignum; & cujus formæ ſucceſſorem nomine præſtitiſti, quantocumque etiam bonæ converſationis adniſu fieri tribuas ſectatorem. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine, cum acceſſu temporum recti moderaminis incrementum; ut quod dignitate præferimus, juſtis actionibus exſequamur. Per &c.

Multiplica, Domine, quæſumus, in Eccleſia tua ſpiritum gratiæ, quem dediſti; ut per dignum Pontificis inſtitutum, creſcat tuorum devotio ſancta Fidelium. Per &c.

V I I. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, origo cunctarum perfectioque virtutum: da nobis, quæſumus, & exercere, quæ recta ſunt, & prædicare, quæ vera: ut inſtructionem gratiæ tuæ præbeamus & agendo tuis fidelibus & docendo. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, oblationes & preces, quas & pro reverentia Paſchali ſupplices adhibemus, & pro ſolemnitate recolenda primordii Sacerdotalis offerimus, ut eorum nobis interceſſione ſint proſpera, quos nobis hujus muneris & Doctores conſtituis & Patronos. Per &c.

Verè dignum. Teque profuſius implorare, ut quod nunc pii nobis eſt oneris, perpetui ſit honoris. Neque nos magis oblectet prærogativa faſtigii, quàm competens actio dignitatis; atque ſecundùm beatum Apoſtolum Paulum docentem: *Epiſcopatum qui deſiderat, bonum opus concupiſcit*; ſacri nominis veritatem ſanctæ converſationis in nobis monſtret effectus. Et qui loco cæteris præſidemus, cunctis rationabili ſubdamur affectu.

ctu. Nec nos extollat noxia poteſtatis elatio ſed potius modeſtos efficiat adminiſtratio legitima caritatis. Per &c.

Deus, qui bona cuncta & inchoas benignus & perficis: da nobis, ſicut de initiis tuæ gratiæ gloriamur, ita de perfectione gaudere. Per &c.

Repleantur conſolationibus tuis, Domine, quæſumus, tuorum corda fidelium; pariterque & de Eccleſiæ Præſulum; & de ſuo referant gaudia votiva profectu; ac temporalibus ſolatiis incitati, promptius æterna deſiderent. Per &c.

VIII. *Item alia.*

Deus, qui licèt univerſum genus humanum cæleſti lege diſponas, Eccleſiam tamen ſpeciali diſpenſatione moderaris, & dignum tibi nos exibere miniſterium concede propitius, & dignos per tuam gratiam miniſtros offerre. Per &c.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut quod fragili ſupplemus officio, tuo potius perficiatur effectu. Per &c.

Omnium noſtrum, Domine, quæſumus, hoſtias propitius intuere; ut & quod actum eſt, per obſequium deputatum, & fidelium vota Populorum, tua potius dignatione firmetur. Per &c.

Verè dignum. Suppliciter implorantes, ut noſtram pariter & eorum, quos per tui muneris largitatem ſacræ familiæ ſubrogamus Antiſtites, bene tibi placitam perficias ſervitutem. Per &c.

Pro Epiſcopo offerendum.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus (*illius* & *illius*) famulorum tuorum, quibus ſummum Sacerdotium contuliſti, quæſumus, benignus efficias, & tua in eis dona proſequaris. Per &c.

Eccleſiam tuam, Domine, benignus illumina; ut & gregis tui proficiat ubique ſucceſſus, & grati fiant nomini tuo, te gubernante, Paſtores. Per &c.

Da, quæſumus, Domine, ut & fideles tui diligant Præſules

ſules ſuos, & ab eis mutuo diligantur; atque ut perpetuo perſeverent, præſta, quæſumus, ut utriſque juſtitia non deſit, & pietas. Per &c.

I X. *Item alia.*

Largire nobis, Domine, quæſumus, ſpiritum cogitandi, quæ bona ſunt, promtius & agendi; ut qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundùm te vivere valeamus. Per &c.

Da nobis, Domine, quæſumus, ut in tua gratia veraciter confidentes, & quæ te digna ſunt poſtulemus, & jugiter poſtulata ſumamus. Per &c.

Dicatæ tibi, Domine, quæſumus, capiamus oblationis effectum, ut a terrenæ vetuſtatis converſatione mundati, cæleſtis vitæ profectibus innovemur. Per &c.

Verè dignum. Ut, qui te auctore ſumus conditi, reparatore ſalvemur; & qui faciles à tua rectitudine diſcrepamus, ad eam tua miſeratione revocemur; nec relinquamur noſtris exceſſibus, ſed tuæ ſubdamur clementer & inceſſabiliter voluntati. Per &c.

Perfice, Domine, quæſumus, benignus in nobis, ut quæ ſacris myſteriis profitemur, piis actionibus exſequamur. Per &c.

Plebem tùam, Domine, quæſumus interius exteriuſque reſtaura; ut quam corporeis non vis delectationibus impediri, ſpiritali facias vigere propoſito; & ſic rebus foveas tranſituris, ut tribuas potius inhærere perpetuis. Per &c.

X. *Itme alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos ab hoſtibus defendis immeritos: præſta, quæſumus, ut & morum nobis ad ſit & Fidei rectitudo, qua pietatis tuæ mereamur augmenta. Per &c.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut propitiationis tuæ nobis collata ſecuritas non nos efficiat negligentes, ſed potius ad cultum nominis tui reddat acceptos. Per &c.

Sacris, Domine, myſteriis expiati, & veniam conſequamur & gratiam. Per &c.

Verè dignum. Clementiam tuam toto corde poſcentes; ut qui nos à corporalibus tueris adverſis, ab hoſtibus quoque mentis expedias; & quos exteriore tribuis tranquillitate gaudere, interius facias eſſe pacificos. Per &c.

Repleti, Domine, muneribus ſacris: da, quæſumus, ut in gratiarum ſemper actione maneamus. Per &c.

Guberna, Domine, quæſumus, tuam placatus Eccleſiam; ut potenti moderatione directa, & incrementa libertatis accipiat, & in religionis integritate perſiſtat. Per &c.

XI. *Item alia.*

Ad te corda noſtra, Pater æterne, converte; quia nullis neceſſariis indigebunt, quos tuo cultui præſtiteris eſſe ſubjectos. Per &c.

(*a*) Ut cunctis nos, Domine, foveas adjumentis, tuis apta propitius diſciplinis. Per &c.

(*b*) Sacrificium deferimus de perceptione tuorum, Domine, præſtitorum; ut percipienda ſecurius uberiuſque ſumamus. Per &c.

Verè dignum. Simulque pro munere generali, quo vivimus, & pro ſingulis quibuſque ſubſidiis tuam munificentiam prædicare ne collatis &c. (*c*)

(*d*) Præſta, Domine, quæſumus, ut temporalibus &c.

Succurre, Domine, quæſumus, Populo ſupplicanti &c. (*e*)

Item:

(a) *Hæc oratio ſupra habetur in Miſſa XIII. pro Jejunio Menſis Decimi.*

(b) *Ibidem exarata quoque legitur & iſta.*

(c) *Eadem heic repetitur Præfatio, quæ ſupra occurrit in prælaudata Tertiadecima Miſſa jejunii Menſe Decimo.*

(d) *Conſimilem habes ibidem.*

(e) *Hæc itidem finalis eſt Miſſæ ejuſdem. Itaque ſi demas primam Orationem* Ad te corda noſtra, *reliquas cum Præfatione heic iterum ab Antiquario extra chorum productas non immerito dices.*

XII. *Item alia*.

Omnipotens & miſericors Deus, propitiationis tuæ dona multiplica, & cunctis hoſtibus cæleſti virtute compreſſis, augmentum nobis tribue religionis & pacis. Per &c.

Virtutum cæleſtium Deus, promiſſionis tuæ munus exſequere; ut Evangelicæ veritati rebellantium corda ſubdantur. Per &c.

Muneribus noſtris, quæſumus, Domine, gratiam tuæ placationis interſere; ut & collata nobis remedia tuearis, & conferenda perficias. Per &c.

Vere dignum. Supplicantes, ut tibi nos placatus devoto facias corde famulari. Quia ſicut totius adverſitatis eſt cauſſa tuis non obedire præceptis, ita præcipue proſperitatis effectus eſt, bonorum omnium ſequi convenienter Auctorem. Per &c.

Tua nos, quæſumus, Domine, ſancta purificent, & operationes ſuæ perficiant nos pacatos. Per &c.

Moveat pietatem tuam, quæſumus, Domine, ſubjectæ tibi plebis affectus, & miſericordiam tuam ſupplicatio fidelis obtineat: ut, quod meritis non præſumit, indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per &c.

XIII. *Item alia*.

Peccata noſtra, Domine, propitiatus abſolve, & quidquid pro peccatis meremur, miſeratus averte. Per &c.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut viam tuam devota mente currentes, ſurripientium delictorum laqueos evadamus. Per &c.

Purificet nos, Domine, cæleſtis exſequutio Sacramenti, & ad tuam magnificentiam capiendam divinis effectibus ſemper inſtauret. Per &c.

Verè dignum. Ut qui, te auctore, ſubſiſtimus, te diſpenſante dirigamur. Non noſtris ſenſibus relinquamur, ſed ad tuæ reducti ſemper tramitem veritatis, hæc ſtudeamus exercere, quæ præcipis, ut poſſimus dona percipere, quæ promittis. Per &c.

Sumti Sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia ſemper à nobis cuncta depellat. Per &c.

Adeſto, Domine, Fidelibus tuis, & tua ſancta celebrantibus auge devotionis effectum; ut & tibi ſemper exhibeant debitam ſervitutem, & ad remedia jugiter æterna proficiant. Per &c.

XIV. *Item alia.*

Reſpice nos, rerum omnium Deus creator & rector; & ut tuæ propitiationis ſentiamus effectum; toto nos tribue tibi corde ſervire. Per &c.

Ad tua, Domine, beneficia fiducialiter impetranda; quæſumus, ut exercere, quæ tibi ſunt placita, & velle nobis largiaris & poſſe. Per &c.

Deus, auctor ſinceræ devotionis & pacis, da, quæſumus, ut & majeſtatem tuam convenienter hoc munere veneremur, & ſacri participatione myſterii fideliter ſenſibus uniamur. Per &c.

Verè dignum. Qui ideo nos imaginem tuam benignus exiſtere voluiſti, ut tenorem ſummæ juſtitiæ pariter & pietatis imitemur; quod brevi compendio poterimus implere, ſi per tuam nobis gratiam concedatur, ut & te noſtrum nitamur amare factorem, & noſmetipſos veraciter libereque diligere, quos feciſti. Per &c.

Spiritum nobis, Domine, tuæ Caritatis infunde; ut quos uno cæleſti pane ſatiaſti, una facias pietate concordes. Per &c.

Confirma, Domine, quæſumus, tuorum corda filiorum, & gratiæ tuæ virtute corrobora; ut & in tua ſint ſupplicatione devoti, & mutua dilectione ſinceri. Per &c.

XV. *Item alia.*

Quæſumus, omnipotens Deus, ne multitudinem noſtræ prævitatis attendas; ſed à peccatis abſtrahe fragiles, & ad ea, quæ recta ſunt, tuorum dirige voluntates. Per &c.

Non

Non retribuas nobis, quæſumus, Domine, quæ malis operibus promeremur; ſed quos jure corripis à veritate diſgreſſos, protege tua miſeratione correctos. Per &c.

Proſint nobis, Domine, frequentata myſteria; quæ nos à cupiditatibus terrenis expediant, & inſtituant amare cæleſtia. Per &c.

Verè dignum. Ut divinam jugiter gratiam ſubſequentes, juſtitiam tuam, quam delictis noſtris inceſſanter offendimus, actu meliore placemus. Et quibus merita debetur pœna perverſis, indulgentia tribuatur ab iniquitate ceſſantibus. Per &c.

Ab omni errore nos, Domine, quæſumus, expient Sacramenta, quæ ſumſimus, & dulcedinem mentibus noſtris tuæ ſuavitatis infundant. Per &c.

Da populo tuo, Domine, quæſumus, ſpiritum veritatis & pacis; ut & te tota mente cognoſcant, & quæ tibi ſunt placita toto corde ſectantes, bonorum tuorum ſemper munere potiatur. Per &c.

XVI. *Item alia.*

Protector in te ſperantium Deus, præſta, quæſumus, ut majeſtatem tuam ſine ceſſatione laudemus; & ut tibi poſſimus jugiter famulari, ſalutem nobis tribue mentis & corporis. Per &c.

Miſericordiæ tuæ remediis, quæſumus, Domine, fragilitas noſtra ſubſiſtat, ut quæ ſui conditione defecit, tua vegetatione reparetur. Per &c.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut interius nobis exteriuſque conferant hæc myſteria ſanitatem, quæ famulis tuis in utroque voluiſti præbere ſubſidium. Per &c.

Poſt Infirmitatem.

Verè dignum. Qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant: potenter oſtendens, quàm ſit pietatis tuæ præclara ſalvatio; dum præſtas, ut operetur nobis etiam infirmitas ipſa medicinam. Per &c.

Deus,

Deus, qui diligendo caſtigas, & caſtigando nos refoves: præſta, ut de utroque tibi gratias ſemper referre valeamus. Per &c.

Tuere, Domine, Populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda; quia nulla ei nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Per &c.

XVII. *Item alia.*

Eripe nos, Domine, quæſumus ab his, quæ divinæ ſunt contraria voluntati. Et quia tui operis eſt omne, quod vidimus: præſta, ut tui famuli tibi placere poſſimus. Per &c.

Quæſumus, Domine, ne nos tales patiaris exiſtere, quibus merito dominentur adverſa. Sed hujuſmodi potius effici tribuas, qui beneficiis tui non perpetuo judicemur indigni. Per &c.

Oblati Sacrificii, Domine, quæſumus, præſtet effectus, ut eidem convenienter aptemur. Per &c.

Verè dignum. Majeſtatem tuam devotis mentibus implorantes, ut ſicut ex te habemus eſſe, quod ſumus, ſic per gratiam tuam & bene velle ſumamus, & bonum poſſe, quod volumus. Per &c.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut myſteriorum virtute ſanctorum vita noſtra firmetur; Per &c.

Plebs tua, Domine, Sacramentis purificata cæleſtibus, quod ſumit, intelligat; quod guſtu delibat, moribus apprehendat; quod juſtis orationibus expetit, tua miſeratione percipiat. Per &c.

XVIII. *Item alia.*

Magnificamus, Domine clementiam tuam, qui & veniam peccatoribus & miſeris præſtas auxilium. Per &c.

Nomini tuo, quæſumus, Deus æterne, da gloriam; quum & immeritis benefacere non omittis. Per &c.

Verè dignum. Referentes gratias & precantes, ut tibi nos placi-

placitos eſſe perficiens, quibus ſuccuris indignis, propitieris acceptis. Per &c.

Quanto te, Domine, prædicare ſufficimus, qui pariter immeritis tribuis de mœrore lætitiam. Per &c.

Da, quæſumus, Domine, Populum tuum ad te toto corde converti. Quia quos defendis etiam delinquentes, majori pietate tueris ſincera tibi mente devotos. Per &c.

X I X. *Item alia.*

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut inter innumeros vitæ præſentis errores, tuo ſemper moderamine dirigamur. Per &c.

Fac nos, quæſumus, Domine, quæ ſunt recta, ſectari, integritatem conſcientiæ diligere ſemper & famæ. Per &c.

Sacrificii tui, Domine, ſalutaris effectibus & nos expiari, & tua nos confidimus remedia promereri. Per &c.

Verè dignum. Qui quum ſumma ſis Ratio, noſque rationales effeceris, certum eſt, tantum nos à tua participatione diſcedere, quantum ab æquitatis tramite deviamus; & tantum in tua ſimilitudine permanere, quantum non divellimur ab ordine veritatis. Per &c.

Sancta tua nos, Domine, quæſumus, & vivificando renovent, & renovando vivificent. Per &c.

Fideles tuos, Domine benedictio deſiderata confirmet; quæ eos & à tua voluntate numquam faciat diſcrepare, & tuis ſemper indulgeat beneficiis gratulari. Per &c.

X X. *Item alia.*

Præſta, Domine, quæſumus, ut mentium reprobarum non curemus obloquia; ſed eadem pravitate calcata, quæ domui tuæ conveniunt, rationabiliter exſequamur. Per &c.

Quæſumus, virtutum cæleſtium Deus, ut deſpectis falſitatibus impiorum, conſcientiæ famæque noſtræ profutura ſectemur. Per &c.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut hujus oblationis effectus.

fectus & tibi non placita refutare, & præſtet nobis amare, quæ recta ſunt. Per &c.

Verè dignum. Ut nos ab operariis iniquitatis dignanter expedias, & nec proprio reos fieri patiaris exceſſu, nec alienis impietatibus præbere conſenſum. Sed mores noſtros & moderatione componas, ut tam in nobis, quàm in aliis, quæ ſunt juſta, ſervemus. Per &c.

Ab occultis noſtris munda nos, Domine, & ab alienis pravitatibus benignus abſolve, ut tua ſancta pura mente ſumamus. Per &c.

Familiam tuam, Domine, propitiata majeſtate circumſpice; ut nec ſuis infecta ſit vitiis, nec externis obligata peccatis; ſed ab utriſque libera tibi ſemper & purgata deſerviat. Per &c.

XXI. *Item alia.*

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut toto tibi corde famulemur; quia nulla nobis prævalebit hoſtilitas, ſi in te, Domine, veraciter confidamus. Per &c.

Hujus nobis, Domine, quæſumus, ſacrificii placatione ſuccurre, cujus remediis dignaris abſolvere peccatores. Per &c.

Verè dignum. Quia, dum beneficia tua largiris, indignis magna, pietate nos admones, multo potiora dona ſumturos, ſi præceptionum tuarum & eruditionibus proficiamus & factis. Per &c.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut nos & cæleſtibus expiare myſteriis, & perpetuis non deſinas fovere præſidiis. Per &c.

Tuere propitius, Domine, quæſumus, familiam tuam; & quam benigna defenſione non deſeris, propenſius tibi redde ſubjectam; ut gratiam tuam, quam ſumit indebita, copioſius devota percipiat. Per &c.

Item

XXII. *Item alia*.

Deus, qui juſtitiam diligis, & injuſta condemnas: da nobis, quæſumus, & amare, quæ recta ſunt, & perverſa vitare. Per &c.

Veritatis auctor & miſericordiæ, Deus, qui nos & ſollicitudine non pigros eſſe & neminem lædere voluiſti: præſta, quæſumus, ut nulli noxia cupiamus inferre, & vexare molientium caveamus incurſus. Per &c.

Ab occultis noſtris tua nos, Domine, ſancta purificent, & ab externis erroribus perpetua virtute defendant. Per &c.

Verè dignum. Miſericordiam tuam, Domine, deprecantes, ut nos divinis rebus tribuas ſtudere veraciter; nec ſub ſpecie religionis ſacros impugnare patiaris effectus. Quoniam ſibi modis omnibus inimici ſunt, qui tuæ voluntati nituntur eſſe contrarii, (*a*) qui propriæ ſalutis operantes excidium, tuis diſpoſitionibus adverſa mente nituntur. Per &c.

Muneris divini perceptio, quæſumus, Domine, ſemper à nobis & peccata noſtra ſubmoveat, & externa depellat. Per &c.

Populum tuum, Domine, quæſumus, poſſide cæleſtibus inſtitutis; ut omnia vitando, quæ mala ſunt & bona cuncta ſectando, non indignationem tuam, ſed jugiter miſericordiam conſequatur. Per &c.

XXIII. *Item alia*.

Concede, omnipotens Deus, ut & gaudiorum plenitudinem conſequamur, & majeſtati tuæ propenſius ſimus devoti. Per &c.

Offerimus, Domine, laudes & munera; pro conceſſis beneficiis exhibentes gratias, & pro concedendis ſuppliciter deprecantes. Per &c.

Verè dignum. Qui facis mirabilia magna ſolus; & non tan-

(a) Quia propriæ ſalutis &c. *uſque ad finem, videntur eſſe additamentum variantis lectionis*.

tantùm pro peccatis noſtris non retribuis, quæ meremur, ſed inſuper etiam conſolationis tuæ dona præſtas immeritis: magis nos ad cultum nominis tui pio largiens munere provocari, quàm debita caſtigatione compelli; & clementer indulgens, ut ſervilis metus in effectum tranſeat filiorum. Per &c.

Toto tibi, Domine, corde ſubſtrati, bonitatem tuam ſupplices exoramus, ut nos & temporalibus præſidiis fovere non deſinas, & æternis inſtruere non omittas. Per &c.

Lætetur, Domine, quæſumus, Populus tuus, tua dextera ſublevatus; & à tribulatione reſpirans, continuis protegatur auxiliis; & religioſa converſatione proficiens, & præſentibus bonis gaudeat & futuris. Per &c.

(*a*) Precamur, omnipotens Deus; omnes propitiatus á nobis remove pravitates, & cunctas benignus depelle nequitias. Per &c.

Ad Virgines ſacras.

Reſpice, Domine, propitius ſuper has famulas tuas, ut virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcipiunt, te gubernante cuſtodiant. Per &c.

Deus, caſtorum corporum benignus habitator, & incorruptarum Deus amator animarum: Deus, qui humanam ſubſtantiam in primis hominibus, diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo, per quod omnia facta ſunt, reparas, ut eam non ſolùm ad primæ originis innocentiam revoces, ſed etiam ad experientiam quorumdam bonorum, quæ in novo Sæculo ſunt habenda, perducas; & obſtrictos adhuc conditione mortalium, jam ad ſimilitudinem provehas Angelorum: reſpice, Domine, ſuper has famulas tuas, quæ in manu tua continentiæ ſuæ propoſitum collocantes, ei devotionem ſuam offerunt, à quo ipſa vota ſumſerunt. Quando enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis evinceret, niſi tu hanc flammam cle-

(a) *In margine*: In jejunio

clementer accenderes, tu hanc cupiditatem benignus aleres, tu fortitudinem miniſtrares? Effuſa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quæ eſt ſub cælo, in ſtellarum innumerabilem numerum novi Teſtamenti hæredibus adoptatis, inter ceteras virtutes, quas filiis tuis, non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, ſed de tuo Spiritu genitis indidiſti: etiam hoc donum in quaſdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit: ut quum honorem nuptiarum nulla interdicta minuiſſent, ac ſuper ſanctum conjugium initialis benedictio permaneret; exiſterent tamen ſublimiores animæ, quæ in Viri ac mulieris copula faſtidirent connubium, concupiſcerent ſacramentum, nec imitarentur, quod nuptiis agitur, ſed diligerent, quod nuptiis prænotatur. Agnovit Auctorem ſuum beata virginitas, & æmula integritatis Angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo ſe devovit, qui ſic perpetuæ virginitatis eſt Sponſus, quemadmodum perpetuæ virginitatis eſt Filius. Implorantibus ergo auxilium tuum, Domine, & confirmari ſe benedictionis tuæ conſecratione cupientibus: da protectionis tuæ munimen & regimen; ne hoſtis antiquus, qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis, ad obſcurandam perfectæ continentiæ palmam, per aliquam ſerpat mentis incuriam, & rapiat de propoſito Virginum, quod etiam moribus decet ineſſe nuptarum. Sit in eis, Domine, per donum Spiritus tui, prudens modeſtia, ſapiens benignitas, gravis lenitas, caſta libertas. In caritate ferveant, & nihil extra te diligant: laudabiliter vivant, laudarique non appetant. Te in ſanctitate corporis, te in animi ſui puritate glorificent. Amore te timeant, amore tibi ſerviant. Tu eis honor ſis, tu gaudium, tu voluntas. Tu in mœrore ſolatium, tu in ambiguitate conſilium, tu in injuria defenſio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeant omnia, quem elegere ſuper omnia. Per &c.

Incipit Velatio Nuptialis.

Exaudi nos, omnipotens & miſericors Deus; ut quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, pro ſacra lege Conjugii munus oblatum; & cujus creator es operis, eſto diſpoſitor. Per &c.

Hanc igitur oblationem famulæ tuæ (*illius*), quam tibi offerimus pro famula tua (*illa*), quæſumus, Domine, placatus aſpicias. Pro qua majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut ſicut eam ad ætatem nuptiis congruentem pervenire tribuiſti, ſic conſortio maritali tuo munere copulatam, deſiderata ſobole gaudere perficias, atque optatam ſeriem cum ſuo conjuge provehas benignus annorum. Per &c.

Quæſumus, omnipotens Deus, inſtituta providentiæ tuæ pio favore comitare; & quos legitima ſocietate connectis, longæva pace cuſtodi. Per &c.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte; ut quod, te auctore jungitur, te auxiliante ſervetur. Per &c.

Pater, Mundi conditor, naſcentium genitor, multiplicandæ originis inſtitutor, qui Adæ comitem tuis manibus addidiſti, cujus ex oſſibus oſſa creſcentia parem formam admirabili diverſitate ſignarent: hinc ad totius multitudinis incrementum, conjugalis thori juſſa conſortia, quo totum inter ſe ſæculum colligarent, humani generis fœdera nexuerunt. Sic enim tibi placitum neceſſario, ut quia longe eſſet infirmius, quod homini ſimile, quàm quod tibi Deo feceras, additus fortiori ſexus infirmior, unum efficeret ex duobus; & pari pignore ſoboles mixta manaret: dum per ordinem flueret digeſta poſteritas, ac priores ventura ſequerentur, nec ullum ſibi finem in tam brevi termino, quamvis eſſet caduca poſteritas. Ad

hæc

hæc igitur venturæ hujus famulæ tuæ, Pater, rudimenta ſanctifica; ut bono & proſpero ſociata conſortio, legis æternæ jura cuſtodiat. Mimineritque ſe, Domine, non tantum ad licentiam conjugalem, ſed ad obſervantiam Dei, ſanctorumque pignorum cuſtodiæ delegatam. Fidelis & caſta nubat in Chriſto, imitatrixque ſanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis, ut Rachel, viro; ſapiens, ut Rebecca, longæva & fidelis, ut Sarra. Nihil ex hac ſubciſivus ille auctor prævaricationis uſurpet; nixa fidei mandatiſque permaneat. Muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ. Uni thoro juncta contactus vitet illicitos. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cæleſtibus erudita. Sit fœcunda in ſobole; ſit probata & innocens; & ad beatorum requiem, atque ad cæleſtia regna perveniat. Per &c.

MENSE OCTOBRI.

De ſiccitate temporis.

I.

Deus, in quo vivimus, movemur, & ſumus, pluviam nobis tribue congruentem, ut præſentibus ſubſidiis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per &c.

Domum tuam, Domine, quæſumus, propitiatus inhabita, & ſubditorum tibi fidelium corda purifica; ut bene placitis inhærendo, cuncta, quæ bona ſunt, mereantur accipere. Per &c.

Exaudi nos, Domine Deus noſter, & Eccleſiam tuam inter Mundi turbines fluctuantem, clementi gubernatione moderare; ut tranquillo curſu portum perpetuæ ſecuritatis inveniat. Per &c.

Reſpice, quæſumus, Domine, noſtram propitius ſervitutem; ut, quod offerimus, ſit tibi munus acceptum, ſit noſtræ fragilitati ſubſidium. Per &c.

Verè

Verè dignum. Ad cujus immenſam pertinet gloriam, ut non ſolùm mortalibus tua Deitate ſuccurreris, ſed de ipſa etiam mortalitate noſtra nobis remedium provideris, & perditos, unde perierant, inde ſalvaris. Per &c.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut inter ejus membra numeremur, cujus Corpori communicamus & Sanguini. Per &c.

Familiam tuam, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio; & ab omni pravitate defenſam donis cæleſtibus proſequatur, & ad bonorum præmia, gratiæ ſuæ largitate, perducat. Per &c.

II. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, ſenſibus noſtris propitiatus intende, ut à terrenis delectationibus abſtinentes, propenſius cæleſtia meditemur. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut per hæc, quæ his oblationibus ſunt agenda, ſalvemur. Per &c.

Verè dignum. Clementiam tuam profuſis precibus implorantes, ut conditionis humanæ reſpiciens facultatem, quibus tanta remedia providiſti, tribuas, ut eorum per tuam gratiam ſint capaces. Per &c.

Mentes noſtras & corpora, Domine, quæſumus, operatio tuæ virtutis infundat; ut quod participatione ſumſimus, plena redemtione capiamus. Per &c.

Proficiat, quæſumus, Domine, fidelis Populus tuæ pietatis inſtinctu, & ſalubri compunctione devotus, gratanter, quæ præcipis, exſequatur, ut, quæ promittis, accipiat. Per &c.

III. *Item alia.*

(*a*) Indulgentiam nobis, Domine, tribue peccatorum; ut inſtituta Paſchalia tibi placitis ſenſibus operemur. Per &c.

Muneribus noſtris, Domine, precibuſque ſuſceptis, & cæleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi. Per &c.

Verè

(a) *In margine*: Prope Paſcha.

Vere dignum. Suppliciter exorantes, ut & ſecuritatem nobis temporum tribuas, & religionis augmentum; quò magnum pietatis tuæ ſacramentum & quietis celebremus mentibus & devotis. Per &c.

Divini muneris largitate ſatiati, quæſumus, Domine, Deus noſter, ut in hujus ſemper participatione vivamus. Per &c.

Conſerva, Domine, quæſumus, familiam tuam, & benedictionum tuarum propitius ubertate purifica; ut & eruditionibus tuis multiplicetur & donis. Per &c.

I V. *Item alia*.

Propitiare, Domine, in te confidentibus Populis; & ad cuſtodiam Romani nominis dexteram tuæ protectionis extende, ut regnum majeſtati tuæ deditum, tua ſemper ſit virtute defenſum. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, hoſtias mentium tuo nomini devotarum, quibus nos & à terrenis contagiis expiari, & cæleſtibus contuliſti propinquare conſortiis. Per &c.

Verè dignum. Cujus ineffabili gratia circa nos hoc ſingulare myſterium eſt, ut dudum perditi atque proſtrati, ad eam nunc gloriam rediremus, qua per Jeſum Chriſtum Filium tuum, Dominum noſtrum, genus electum, regale Sacerdotium, Populus acquiſitionis, & gens ſancta vocaremur. Per &c.

Hoc nobis tuum, quæſumus, Domine, Sacramentum ſit abolitio peccatorum, ſit fortitudo fragilitatis humanæ, ſit contra Mundi pericula firmamentum. Per &c.

Hæc nos communio purget à crimine, & cæleſtis gaudii tribuat eſſe conſortes. Per &c.

V. *Item alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, in protectione fidelium Populorum antiqua brachii tui operare miracula; ut hoſtibus noſtris tua virtute compreſſis, ſecura tibi ſerviat Romana devotio. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, hoſtias quas tibi pro ſa-

ſute

lute tuæ plebis offerimus; & ſacramentis cæleſtibus ſervientes, ab omni culpa liberos eſſe concede. Per &c.

Verè dignum. Qui per ineffabilem potentiam Verbi tui, ſicut humani generis es conditor, ita benigniſſimus reformator. Per &c.

VI. *Item alia.*

Deus, qui remedia ſalutis humanæ in præſentis myſterii ſolemnitate poſuiſti: da nobis, ut ſicut hæc Apoſtolorum tuorum prædicatione cognovimus, ita eorum ſuffragiis conſequamur. Per &c.

Munera, quæſumus, Domine, tuæ plebis propitiatus aſſume; ut quæ Fidei pietate profitetur, Sacramentis cæleſtibus apprehendat. Per &c.

Verè dignum. In cujus Reſurrectione mirabili mors occidit redemtorum, & orta eſt vita credentium. Et ideo cum Angelis &c.

Super Defunctos.

I.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui contuliſti fidelibus tuis remedia vitæ poſt mortem: præſta, quæſumus, propitius ac placatus, ut anima famuli tui (*illius**) à peccatis omnibus expiata, in tuæ redemtionis ſorte requieſcat. Per &c.

Hoſtias tibi, Domine, humili ſupplicatione deferimus; ut anima famuli tui (*illius*), per hæc piæ placationis officia, perpetuam miſericordiam conſequatur. Per &c.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui (*illius*, quæſumus, Domine, propitiatus accipias; & miſerationum tuarum largitate concedas, ut quidquid terrena converſatione contraxit, his ſacrificiis emundetur, ac mortis vinculis abſolutis, tranſitum mereatur ad vitam. Per &c.

II.

Omnipotens & miſericors Deus, in cujus omnis humana conditio poteſtate conſiſtit: animam famuli tui (*illius*) quæſumus,

mus, ab omnibus abſolve peccatis; ut poenitentiæ fructum, quem voluntas ejus optavit, præventus mortalitate non perdat. Per &c.

Satisfaciat tibi, Domine, quæſumus, pro anima famuli tui (*illius*), Sacrificii preſentis oblatio, & peccatorum veniam, quam quæſivit, inveniat. Per &c.

Et quod officio vocis implere non potuit, deſideratæ poenitentiæ compenſatione percipiat. Per &c.

Hanc igitur oblationem &c. (*ut ſupra.*)

III.

Omnipotens & miſericors Deus, apud quem voluntas habetur humana pro factis: præſta, quæſumus, ut anima famuli tui (*illius*) ad perfectum remedium conſequendum poenitentiam deſideranter voluiſſe ſufficiat. Per &c.

Animæ famuli tui, quæſumus, Domine, per hæc ſacramenta redemtionis æternæ remiſſionem tribue peccatorum; ut devotio poenitentiæ, quem geſſit ejus affectus, perpetuæ ſalutis conſequatur effectum. Per &c.

Deus, à quo inſpiratur humanis cordibus omne, quod bonum eſt, ſicut animæ famuli tui poenitentiam velle donaſti, ſic indulgentiam tribue miſeratus optatam. Per &c.

Deus, cui ſoli competit medicinam præſtare poſt mortem: præſta, quæſumus, ut anima famuli tui (*illius*) terrenis exuta contagiis, in tua redemtionis parte numeretur. Per &c.

His, quæſumus, Domine, Sacrificiis, quibus purgationem & viventibus tribuis & defunctis, animam famuli tui benignus abſolve; ut reſurrectionis diem ſpe certæ gratulationis expectet. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, animæ famuli tui miſericordiam ſempiternam (*a*) (immenſam); ut eam mortalibus nexibus expeditam lux æterna poſſideat. Per &c.

Fidelium, Deus, animarum conditor & Redemtor; fa-

(a) Immenſam, *varians lectio.*

mulo tuo cunctorum remiſſionem tribue peccatorum ; ut quam ſemper optavit, indulgentiam conſequatur. Per &c.

IV.

Beati Martyris tui Laurentii, Domine, quæſumus, interceſſione nos protege ; & animam famuli tui (*illius*) Epiſcopi Sanctorum tuorum junge conſortiis. Per &c.

Oblationes noſtras, Domine, quæſumus, propitiatus intende, quas & ad honorem ſancti Martyris tui Laurentii nomini tuæ majeſtatis offerimus, & pro requie famuli tui (*illius*) Epiſcopi ſuppliciter immolamus. Per &c.

Verè dignum. Qui nos Sanctorum tuorum & commemoratione refoves, & oratione defendis. Per &c.

Hanc igitur &c. & in numerum tibi placentium cenſeri facias Sacerdotum. Per &c.

V.

Adjuva nos, Domine Deus noſter, beati Laurentii Martyris tui precibus exoratus, & animam famuli tui (*illius*) Epiſcopi in beatitudinis ſempiternæ luce conſtitue. Per &c.

Memento, Domine, quæſumus, animæ famuli tui (*illius*) Epiſcopi ; & quem in corpore conſtitutum Sedis Apoſtolicæ gubernacula tenere voluiſti, in electorum numero conſtitue Sacerdotum. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, hoſtias pro anima famuli tui (*illius*) Epiſcopi, ut cui Pontificale donaſti meritum, dones & præmium. Per &c.

Hanc igitur &c. ut qui beati Petri Apoſtoli Sedem vicario eſt ſequutus officio, tuæ quoque gratiæ largitate perpetuam Dignitatis Apoſtolicæ percipiat portionem. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine, ut anima famuli tui (*illius*) Epiſcopi, quam in hoc ſæculo commorantem ſacris muneribus decoraſti, in cæleſti ſede glorioſa ſemper exſultet. Per &c.

Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum

(*illum*)

(*illum*) feciſti vigere Pontificem: præſta, quæſum us, ut eorum perpetua quoque ſede potiatur. Per &c.

Sancti Silveſtri.

Deus, confitentium te portio defunctorum, preces noſtras, quas in famuli tui Silveſtri Epiſcopi depoſitione deferimus, propitiatus aſſume; ut qui nomini tuo miniſterium fidele dependit, perpetua Sanctorum tuorum ſocietate lætetur. Per &c.

Hanc igitur oblationem, quæſumus, Domine, placatus intende, quam in ſancti Silveſtri Confeſſoris & Epiſcopi tui commemoratione ſuppliciter immolamus; ut & nobis proficiat hujus pietatis affectus, & illum beatitudo ſempiterna glorificet. Per &c.

Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, ut anima famuli tui Simplicii Epiſcopi ab omnibus, quæ humanitus attraxit, exuta, in ſanctorum cenſeatur ſorte Paſtorum. Per &c.

MENSE NOVEMBRI.

In natali Sanctorum Quatuor Coronatorum.

I.

Annua Martyrum tuorum, Domine, vota recolimus, majeſtatem tuam ſuppliciter deprecantes, ut cum temporalibus incrementis, proſperitatis æternæ capiamus augmentum. Per &c.

Pro Martyrum natalitiis, Domine, tua muneribus cumulamus altaria. Da, quæſumus, ut gaudia nobis ſancta ſuccreſcant, quibus proficiat noſtræ devotionis affectus. Per &c.

Verè dignum. Celebrantes ſanctorum natalitia patronorum: quia dum tui nominis per eos gloria frequentatur, noſtræ creſcit fragilitatis auxilium. Per &c.

II. *Item alia.*

Hoſtias tibi, Domine, pro Martyrum tuorum commemoratione deferimus; ſupplicantes, ut indulgentiam nobis pariter conferant, & ſalutem. Per &c.

Verè dignum. Quoniam tu magnificaris in tuorum laude Sanctorum. Et quidquid ad eorum pretioſam pertinet paſſionem, tuæ ſunt opera miranda potèntiæ: qui hujus Fidei tribuis clementer ardorem: qui ſuggeris tolerantiæ firmitatem: qui largiris in agone victoriam. Per &c.

Sanctorum tuorum nos, quæſumus, Domine, ſemper feſta lætificent, & majeſtati tuæ perpetua placatione commendent. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut ſicut Populus Chriſtianus Martyrum tuorum temporali ſolemnitate congaudet, ita perfruatur æterna; & quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per &c.

In Natali Sanctæ Cœciliæ.

I.

Propitiationem tuam, Domine, quæſumus, ſentiamus de celebritate præſenti; ut oblationibus noſtris, Sanctæ (*illius*) interceſſione ſuſceptis, & indulgentiam nobis tribuas, & ſalutaria dona concedas. Per &c.

Verè dignum. In die feſtivitatis hodiernæ, qua ſancta Cæcilia in tui nominis confeſſione Martyr effecta eſt. Quæ dum humanis devota nuptiis, thalamos temporales contemneret, Sponſum ſibi, qui perpetuus eſſet, præſumto præmio caſtitatis adhibuit, & æternitatem vitæ maluit, quàm ut Mundo procrearet originem. In cujus gloriam etiam illud acceſſit, ut Valerianum, cui fuerat matrimonii jure copulanda, in perpetuum ſibi ſocians Martyr caſta conſortium, ſecum duceret ad coronam. Per &c.

Exſultamus pariter, & de percepto pane juſtitiæ, & de tuorum, Domine, feſtivitate Sanctorum; quia interventioni-

bus

bus tibi placentium, confidimus, nobis ad perpetuam vitam ceſſura (*a*) (profutura) quæ ſumſimus. Per &c.

Auxilium tuum, Domine, nomini tuo ſubdita poſcunt corda fidelium, ut quia ſine te nihil poſſunt implere, quod juſtum eſt, tua miſericordia largiente, & quæ recta ſunt apprehendant, & omnia ſibi profutura percipiant. Per &c.

II. *Item alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui eligis infirma Mundi, ut fortia quæque confundas: da nobis in feſtivitate ſanctæ Martyris Cæciliæ congrua devotione gaudere; ut & potentiam tuam in ejus paſſione laudemus, & proviſum nobis percipiamus auxilium. Per &c.

Bonorum omnium, Deus, auctor atque largitor, qui ut humanum genus ad confeſſionem tui nominis provocares, etiam in fragili perfeciſti conditione Martyrium: præſta, quæſumus, ut Eccleſia tua, hoc exemplo commonita, nec pati pro te metuat, & cæleſtis præmii gloriam concupiſcat. Per &c.

Super has, quæſumus, hoſtias, Domine, benedictio copioſa deſcendat, quæ & ſanctificationem nobis clementer operetur, & de Martyrum nos ſolemnitate lætificet. Per &c.

Verè dignum. Qui perficis in infirmitate virtutem, quæ beata glorioſaque Cæcilia, deſpecto Mundi conjugio, ad conſortia ſuperna contendens, nec ætate mutabili præpedita eſt, nec revocata carnis illecebra, nec ſexus fragilitate deterrita. Sed inter puellares annos, inter ſæculi blandimenta, inter ſupplicia perſequentum, multiplicem victoriam Virgo, (*b*) caſta, & Martyr explevit, & ad potiorem triumphum ſecum ad regna cæleſtia, cui fuerat nupta, perduxit. Per &c.

III. *Item alia.*

Fiant, Domine, tuo grata conſpectui munera supplicantis

(a) Profutura. *ex varianti lectione additum.*
(b) Caſta, *eſt varians lectio.*

tis Eccleſiæ; & ut noſtræ ſaluti proficiant, adſit interceſſio beata Sanctorum. Per &c.

Verè dignum. Qui, ut de hoſte generis humani major pompa duceretur, non ſolùm per Chriſtum Dominum noſtrum diabolicam deſtruxiſti tyrannidem, nec tantùm pro ſubverſione Protoplaſti, per virilem ſexum Martyrum beatorum meritam deceptori reciprocas ultionem; ſed etiam in Evæ matris inimicum, per fœmineam conditionem, retorques jure vindictam; ut qui male in ſua Paradiſi felicitate fidentem ſexum utrumque proſtraverat, nunc ab utroque per tuam gratiam calcaretur. Quod ſancta Cæcilia hodierna confeſſione teſtificans, (*a*) (perficiens) ne de fide tamen connubii promiſſa diſcederet, eum, quem conjugem fuerat habitura, (*b*) (quem fuerat ſuſceptura conjugio) fecit comitem paſſionis. Per &c.

IV. *Item alia*.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut ſanctæ Cæciliæ Martyris & annua ſolemnitate lætemur, & tantæ fidei proficiamus exemplo. Per &c.

Sanctæ Cæciliæ feſta recolentes, preces offerimus, hoſtias immolamus. Præſta, Domine, quæſumus, ut cum præſidio temporali & vitæ nobis præbeant incrementa perpetuæ. Per &c.

Verè dignum. Quoniam ſicut humanum genus in utroque ſexu Diabolus merito pravæ confeſſionis eliſit; ſic utriuſque confeſſione magnifica, per tuam gratiam, triumphatur. Clariorque victoria eſt, quum ſublimis illa ſubſtantia, quæ ſimilem ſe jactabat Altiſſimo, & in hominis caſu Dei opus ſubruiſſe plaudebat, fœminea conditione ſuperatur. Cujus gloriæ nobis diem beata Cæcilia Martyr illuſtrat; quæ nuptiis deputata terrenis, nupſit in cælo, & mundano dicata conjugio, divinum eſt

(a) Perficiens, *abundat ex varianti lectione*.

(b) *Variantis lectionis ſunt quoque verba*: quem fuerat ſuſceptura conjugio.

eſt ſortita conſortium; ipſumque temporalem virum, cui mortali fuerat more nectenda, Martyrii fœdere ſecum Virgo caſta fecit æternum. Per &c.

V. *Item alia.*

Quæſumus, virtutum cæleſtium Deus, ut ſacrificia pro ſanctæ Cæciliæ ſolemnitate delata, deſideriorum nos temporalium doceant habere contemtum, & ambire dona faciant cæleſtium gaudiorum. Per &c.

Verè dignum. Quia viciſſitudo nobis eſt hodie collata mirabilis: quum ille noſter inimicus, qui hominem Paradiſi felicitate conſpicuum, & totius mortis ignarum, dum propria integritate fidendo præſidia divina non quæreret, viperea calliditate ſubvertit, nunc inter hujus Mundi miſerias, & in exilio damnatæ conditionis humanæ, à mortali fragilitate, ſed in te fidente, proſternitur. Et quum prima mulier viro ſuo dux fuiſſe referatur ad lapſum, nunc confeſſio puellaris, virum præcedens, ducit ad præmium. Per &c.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, ut ſicut de Sanctæ Cæciliæ feſtivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per &c.

Reſpice, Domine, quæſumus, plebem tuam, de Sanctæ Cæciliæ Martyris glorificatione gratulantem; & beneplacitum fieri tribue ſacratarum tibi mentium famulatum: ut qui in Sanctis tuis te honorare non deſinunt, perpetua donorum tuorum largitate potiantur, & quod viſibiliter exſequuntur, inviſibiliter apprehendant. Per &c.

IX. Kalendas Decembris.

Natale Sanctorum Clementis & Felicitatis.

I.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium Sanctorum tuorum es virtute mirabilis: da nobis in beati Clementis annua ſolemnitate lætari, qui Filii tui Martyr & Pontifex, quod miniſterio geſſit, teſtimonio comprobavit, & quod prædicavit ore, firmavit exemplo. Per &c. Pro-

Propitiationem tuam, Domine &c. (*a*)

Verè dignum. Sancti Clementis Martyris tui Natalitia celebrantes, qui cognationem reliquit & patriam; & poſt odorem tui nominis terras mariaque tranſmittens, abnegansque ſemetipſum, crucem peregrinationis aſſumſit, ut te per Apoſtolorum tuorum veſtigia ſequeretur. Cui tu, Domine, ſecundùm promiſſionem Filii tui, tam in præſenti ſæculo, quàm futuro, centupli muneris præmia repenſaſti. Nam beatiſſimi Petri mox tradito diſciplinis, parentes, quos in genitali ſolo perdiderat, in externa regione reſtituis; quos terrenæ generationis amiſerat, divinæ reddis naturæ participes. Deinde Magiſtri ſui Vicarium per ordinem ſubrogando, Romanæ Urbis, cujus propter te deſpexerat dignitatem, tenere conſtituis Principatum, proque tranſitoria claritate, cæleſti facis honore conſpicuum. Poſtremo Martyrii gloria ſublimatum, pro temporalibus geſtis æternam provehis ad coronam. Per &c.

II. *Item alia.*

Aſcendant ad te, Domine, preces noſtræ, & tuorum vota fidelium munera ſuppliciter oblata concilient; quod etiamſi noſtris operibus non meremur, quæſumus, Sanctorum nos interceſſione mereamur. Per &c.

Verè dignum. Meritò etenim, Domine, de triumphis tuorum Martyrum gloriamur; quia in victoriis eorum tua mirabilia confitemur, Sancti Clementis hodie Sacerdotis & Martyris tui feſtivitate gaudentes: quem beati Apoſtoli Petri eruditionibus inſtitutum, & in Pontificatum Apoſtolicæ Sedis evectum, atque in martyrii inclyti fine gloria coronatum, habitatio cæleſtis excepit. Per &c.

III. *Item alia.*

Beati Clementis Sacerdotis & Martyris tui Natalitia veneranda, Domine, quæſumus, Eccleſia tua devota ſuſcipiat; & fiat

(a) *Repetitur heic Oratio prima, quæ legitur ſupra in prima Miſſa in natali Sanctæ Ceciliæ.*

& fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per &c.

Interceſſio ſancti Clementis Sacerdotis & Martyris, miſericordiæ tuæ, Domine, munera noſtra conciliet, ut, quod merita noſtra non ſupplent, Sanctorum tuorum deprecatione penſetur. Per &c.

Verè dignum. Quoniam per ſancti Spiritus largitatem, beatus ille Clemens hodiernæ nobis exſultationis affectum magnificæ paſſionis agone ſacravit: qui Mundo nobilis, amore Chriſti nobilior, pio labore conſpicuus, & inter parentum vel inquiſitione vel receptione mirabilis, Apoſtolicæ prædicationis fideliſſimus alumnus acceptus, Sacerdos refulſit egregius, & Martyr inſignis. Per &c.

IV. *Item alia*.

Accipe, quæſumus, Domine, hoſtias, tua nobis dignatione collatas: quoniam & te creante procedunt, & tu cauſas humanæ ſalutis & gloriæ, quibus tibi gratæ ſunt, condidiſti. Per &c.

Verè dignum. Beati nobis enim Clementis hodie præconia repetenda ſunt. Qui divina inſpiratione flammatus reliquit patriam, in tuis prædicatoribus . . . . ſequendo, & amiſſos parentes alienis invenit in terris. In exteris regionibus humilis, Chriſti ſequutus eſt gloriam, & ſummam recepit Civitatis propriæ dignitatem. Præſentem vitam Chriſto poſtpoſuit, & meruit triumphum beatitudinis ſempiternæ. Per &c.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut pro honore nominis tui, quorum celebramus inſignia, continuis etiam precibus foveamur. Per &c.

In Natali Sanctæ Felicitatis.

I.

Miſericors & omnipotens Deus, qui nos de virtute in virtutem debita veneratione (a) (ſervitute) currentes, tuorum facis precibus gaudere Sanctorum: præſta, ut quorum ſolem-

(a) Servitute, *eſt varians lectio*.

ſolemnitatibus conſolamur, orationibus adjuvemur. Per &c.

Intende munera, Domine, quæſumus, altaribus tui pro Sanctæ Felicitatis Martyris tuæ cemmemoratione propoſita; ut ſicut per hæc beata myſteria illi gloriam contuliſti, nobis indulgentiam largiaris. Per &c.

Verè dignum. In exſultatione feſtivitatis hodiernæ, qua beata genitrix ſacratum tibi gregem, carne procreatum, per tuam gratiam morte perfecit. Ecce verè in qua, ſicut ſcriptum eſt, fabricavit ſibi ſapientia domum, ſeptem columnis inſtructam. Ecce, quæ, quod nomine prælibavit, rebus implevit; & non ſolùm fœcunditatis proſperitate glorioſa, ſed cum eadem etiam manſit & inter adverſa Felicitas, quam eidem nec mors auferre potuit, ſed effecit potius ſempiternam. Per &c.

Libantes, Domine, menſæ tuæ beata myſteria, quæſumus, ut Martyrum interventione Sanctorum (*a*) temporalem & præſentem nobis miſericordiam conferant & æternam. Per &c.

Protege, Domine, plebem tuam; & quam Martyrum tuorum aſſidua tribuis feſtivitate devotam, tibi ſemper placitam fieri precibus concede juſtorum. Per &c.

II *Item alia*.

Da nobis, Domine Deus noſter, ſanctorum Martyrum palmas inceſſabili devotione venerari; ut quos digna mente non poſſumus celebrare, humilibus ſaltem frequentemus obſequiis. Per &c.

Fidelium tuorum munera, Domine, pro ſanctorum Martyrum ſolemnitate aſſume; & ut tibi noſtra ſint grata ſervitia, gratiæ tuæ largitate concede. Per &c.

Verè dignum. Quoniam magna ſunt opera tua, Domine, & immenſa magnalia, per quæ nobis lætitia hodiernæ feſtivitatis acceſſit. Verè enim Felicitatis filii, & vera eſt ſuorum Felicitas filiorum, quos & caſto fœtu Sancti conjugii mater fœcunda progenuit, & rurſus confeſſionis ſacroſanctæ viſceribus Mar-

(a) Temporalem *abundat ex varianti lectione*.

Martyr beata conceptos, per fidem denuo felicius peperit Martyres ad coronam. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, intercedentibus Sanctis tuis, ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per &c.

Libera, Domine, quæſumus, à peccatis & hoſtibus tibi Populum ſupplicantem; ut in ſancta converſatione viventes, nullis affligantur adverſis. Per &c.

III. *Item alia.*

Sancti Martyres, Domine, quæſumus, & nominibus ſuis nobis ſuffragentur & precibus; ut & Clemens tuus ſapientem clementiam ſequi, & tibi ſacrata Felicitas nos poſcat veraciter eſſe felices. Per &c.

In Sanctorum tuorum paſſionibus pretioſis te, Domine, mirabilem prædicantes, munera votiva deferimus. Præſta, quæſumus, ut ſicut illorum tibi grata ſunt merita, ſic noſtræ ſervitutis accepta reddantur officia. Per &c.

Verè dignum. Hodie quippe, Domine, tuo munere celebratur magnifica Mater & Martyr. Præclara progenies ſimili paſſione. Glorioſa in talibus membris Eccleſia. Meritoque in omnibus beata Felicitas. Per &c.

Repleti ſumus, Domine, ſacramentis & gaudiis, quæ in Sanctorum tuorum celebritatibus & frequentamus & ſumimus. Per &c.

Semper, Domine, quæſumus, fac Populum tuum Sanctorum Martyrum patrocinio gratulari; ut beneficia tua, quæ propriis obſecrationibus obtinere non ſufficit, juſtorum tuorum ſuffragiis inceſſanter accipiat. Per &c.

VIII. Kalendas Decembris.

Natale Sanctorum Chryſogoni & Gregorii.

Exſultamus, Domine, multiplicata feſtivitate Sanctorum; quia non diffidimus tua nos dona ſumturos, qro quibus impetrandis tanta nobis patrocinia contuliſti. Per &c.

Perfice, Domine, votiva myſteria, & quæ in Martyrum

veneratione te prædicant, ſuffragia nobis perpetuæ redemtionis exiſtant. Per &c.

Verè dignum. Quia pectora Martyrum beatorum ſic ignis ille cæleſtis inflammat, ut omne, quod in hujus Mundi luce jucundum eſt, amore tui nominis refutetur, & ſubeatur quidquid temporaliter eſt acerbum, ut promiſſionis tuæ præmia capiantur. Per &c.

Patientia pretioſa juſtorum tuæ nobis, Domine, quæſumus, affectum dilectionis accumulet; & in cordibus noſtris ſacræ Fidei ſemper exerceat firmitatem. Per &c.

Deus, qui Sanctis tuis dediſti piæ confeſſionis inter tormenta virtutem: largire fidelibus Populis inter hujus Mundi tentamenta conſtantiam veritatis; ut ſicut illos Sanctus Spiritus roborando ſempiternam provexit ad gloriam, ſic iſtos jugiter tua gratia gubernando ad miſericordiam perducat æternam. Per &c.

Pridie Kalendas Decembris.

Natale Sancti Andreæ Apoſtoli.

I.

Da nobis, quæſumus, Domine Deus noſter, beati Apoſtoli tui Andreæ interceſſionibus ſublevari; ut per quos Eccleſiæ tuæ ſuperni muneris rudimenta donaſti, per eos ſubſidia perpetuæ ſalutis impendas. Per &c.

Reſpice, quæſumus, Domine, munera, quæ pro beati Andreæ Apoſtoli tui commemoratione deferimus: ſuppliciter exorantes, ut ejus interventionibus adjuvemur, pro cujus meritis immolantur. Per &c.

Verè dignum. Quia Eccleſiam tuam in Apoſtolicis tribuiſti conſiſtere fundamentis. De quorum collegio beati Andreæ ſolemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non tacemus. Per &c.

Sumſimus, Domine, divina myſteria, beati Apoſtoli tui Andreæ feſtivitate lætantes: quæ ſicut tuis Sanctis ad gloriam, ita

ita nobis, quæſumus, ad veniam prodeſſe perficias. Per &c.

Tribue, Domine, quæſumus, familiæ tuæ, ut exſultationem cordis ſui, quam de beati Andreæ Apoſtoli tui veneratione percepit, & ſecura concelebret, & tota ſemper mente ſectetur. Per &c.

II. *Item alia.*

Supplices te rogamus, Deus, competentibus gaudiis diem nos celebrare concedas, quo majeſtatis tuæ confeſſione magnifica beati Apoſtoli tui andreæ ſacer Natalis illuxit; pariterque nobis devotionis hujus tempora largiora tribuas & profectum. Per &c.

Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus, quo beati Andreæ ſolemnia recolentes, purificationem quoque noſtris mentibus imploramus. Per &c.

Verè dignum. In feſtivitate præſenti, qua beati Andreæ Apoſtoli tui venerandus ſanguis effuſus eſt. Qui glorioſi Apoſtoli tui pariter ſorte naſcendi, conſortio Fidei, Apoſtolicæ collegio dignitatis, & martyrii eſt claritate germanus; ut quos in hujus vitæ curſu gratia tua tot vinculis pietatis obſtrinxerat, ſimilis in regno cælorum necteret & corona. Per &c.

Proſit nobis, quæſumus, Domine, Sacramenti tui perceptio ſalutaris pro tuorum commemoratione Sanctorum; ut nos & à vitiis mortalitatis expediat, & perpetuæ ſocios miſerationis efficiat. Per &c.

Eſto protector, Domine, Populi tui propitiatus & rector; eique, deprecantibus Sanctis tuis, remiſſionem tribue peccatorum: præſta vitæ melioris effectum: temporalia benignus præbe ſolatia: & æternitatis promiſſa dona largire. Per &c.

III. *Item alia.*

Omnium virtutum, Deus, bonorumque largitor, da, quæſumus, ut beati Apoſtoli tui Andreæ ſemper nobis adſint & honoranda ſolemnia, & deſiderata præſidia. Per &c.

Oblatis muneribus, Domine, plebs fidelis exſultet: quia pari-

pariter Apoſtolicæ gaudia paſſionis . . . . . & in eis te prædicare mirabilem . . . . . confidit ad ſuæ pertinere ſalutis augmenta. Per &c.

Verè dignum. Qui per cultum nominis tui, venerationemque Sanctorum, nobis remedia mirabiliter operaris. Hoc ipſo namque jejunio, quod, beati Apoſtoli tui Andreæ feſta prævenientes, oculis tuæ majeſtatis offerimus, ſimul & continentiam ſalutarem capiamus mentis & corporis; & profutura nobis obſervatione proficiamus, & mitigatis ſenſibus corporis, puriores tantis natalitiis præparemur. Per &c.

Erudiamur, Domine, quæſumus, his celebritatibus & juvemur; quibus beati Apoſtoli Andreæ cæleſtem nobis tribuant martyria præventa lætitiam. Per &c.

Referat, Domine, Populus Chriſtianus, quos pia devotione præſumſit, ſanctæ gratulationis effectus; ut beati Apoſtoli tui Andreæ ſimul fiat & veneratione jucundus & interceſſione ſecurus. Per &c.

IV. *Item alia.*

Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, ut ſicut Eccleſiæ tuæ ſanctus Andreas Apoſtolus exiſtitit prædicator & rector, ita ſit perpetuus ſuffragator. Per &c,

Beati Apoſtoli Andreæ, Domine, ſolemnia recenſemus; ut ejus auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi hoſtias laudis offerimus. Per &c.

Verè dignum. Adeſt enim dies magnifici votiva martyrii, quo venerandus Andreas germanum ſe beati Apoſtoli Petri tam prædicatione Chriſti tui, quàm confeſſione monſtravit, & Apoſtolicæ numerum dignitatis ſimul paſſione ſupplevit & gloria; ut quibus erat una cauſa certaminis, una retributio eſſet & præmii. Per &c.

Quæſumus, omnipotens Deus, ne nos mundanis ſauciari patiaris incurſibus, quos, tuæ providentiæ conſtitutis, Apoſtolica præſidia non relinquunt. Per &c.

Præ-

Præſta, Domine, quæſumus, Eccleſiam tuam ſub tantis gaudere Principibus, & intellectu capere, quod devotione ſectatur; ut tuis diſpoſitionibus gubernata, quos præſenti veneratur obſequia, participatione perpetua contingere mereatur. Per &c.

MENSE DECEMBRI.
VIII. Kalendas Januarii.

NATALE DOMINI;

Et Martyrum

Paſtoris, Baſilei, & Joviani, & Victorini, & Eugeniæ & Felicitatis, & Anaſtaſiæ.

Deus, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem & mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti: da, quæſumus, nobis Jeſu Chriſti Filii tui Divinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt particeps. Per &c.

Da nobis, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, & ſempiterne Pater, ut Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſolemnia, quæ præſentibus officiis prævenimus, ſic nova ſint nobis, & continuata permaneant, ſic perpetua perſeverent, ut pro ſui miraculo nova ſemper exiſtant. Per &c.

Verè dignum. Quoniam quidquid Chriſtianæ profeſſionis devotione celebratur, de hac ſumit ſolemnitate principium, & in hujus muneris myſterio continetur. Hoc in ipſis generis humani parentibus declaratum eſt, Apoſtolo proteſtante, quum de primis hominibus loqueretur: *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Hoc Patriarchæ diverſis actionibus & vocibus ſignaverunt. Hoc illa Legis obſervantia figuralis aſſeruit. Hoc prædixerunt cunctorum præconia

conia Prophetarum. In hoc ceremoniarum veterum plenitudo eſt. In hoc præſens cæleſtium miniſtratio gratiarum. In hoc bonorum pollicitatio futurorum. In quo, dum manifeſtiſſime comprobantur, quæ fuerant prædicta, compleri, rationabiliter credimus & prudenter, quæ promittuntur eſſe ventura. Per &c.

Da nobis, quæſumus, Domine Deus noſter, ut qui Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti nos frequentare gaudemus, dignis converſationibus ad ejus mereamur pertinere conſortium. Per &c.

Largire, quæſumus, Domine, famulis tuis Fidei, Spei, & Caritatis augmentum; ut qui de Nativitate Domini noſtri tui Filii gloriantur, & adverſa Mundi, te gubernante, non ſentiant, & qnæ temporaliter celebrare deſiderant ſine fine percipiant. Per &c.

11. *Item alia*.

Deus, qui beatæ Mariæ Virginis partum, ſine humana concupiſcentia procreatum, in Filii tui membra venientem paternis feciſti præjudiciis non teneri: præſta, quæſumus, ut hujus creaturæ novitate ſuſcepta, vetuſtatis antiquæ contagiis exuamur. Per &c.

Verè dignum. *Ecce enim*, ſicut per os loquutus eſt Prophetarum, *Virgo in utero accepit, & peperit Filium, & vocatum nomen ejus Emmanuel, & nobiſcum Deus eſt: quia Verbum caro factum habitavit in nobis. Ecce puer natus eſt hodie; parvulus datus eſt nobis; & factus eſt Principatus, cujus poteſtas ſuper humeros ejus; & vocabitur admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri Sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium; & pacis non erit finis, ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus*, ut confirmet illud & corroboret amodo & uſque in ſempiternum. In quibus omnibus evidenter Deum Hominemque cognoſcimus, qui ſuſcipiendo, quod noſtrum eſt, dignatus eſt nobis conferre, quod ſuum eſt. Unde profuſis gaudiis &c.

Item

III. *Item alia.*

Munus Populi tui, Domine, placatus intende, quo non altaribus tuis ignis alienus, nec irrationabilium cruor effunditur animantum; ſed Sancti Spiritus operante virtute, ſacrificium jam noſtrum, Corpus & Sanguis eſt ipſius Sacerdotis. Per &c.

Verè dignum. Hoc præſertim die, quo ipſum ſalutis noſtræ Sacramentum in lucem gentium revelaſti, & ab uteri Virginalis arcano ineffabili editione promiſiſti: *erigens nobis cornu ſalutis in domo David pueri tui, ad dandam ſcientiam ſalutis Populo tuo in remiſſionem peccatorum eorum, per viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Benedictus, qui venit in nomine Domini; qui tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, Deus Dominus & illuxit nobis*, ut nos de tenebris & de umbra mortis, regnum perpetuæ lucis æternæ efficeret. Unde profuſis &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui Nativitate tribuiſti totius Religionis initium perfectionemque conſtare, da nobis, quæſumus, in ejus portione cenſeri, in quo totius ſalutis humanæ ſumma conſiſtit. Per &c.

IV. *Item alia.*

Grata tibi ſit, Domine, quæſumus, hodiernæ Feſtivitatis oblatio; ut, tua gratia largiente, per hæc ſacroſancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per &c.

Verè dignum. Tuæ laudis hoſtiam jugiter immolantes, cujus figuram Abel juſtus inſtituit, agnus quoque legalis oſtendit, celebravit Abraham, Melchiſedech Sacerdos exibuit; ſed verus Agnus, & æternus Pontifex, hodie natus, Chriſtus implevit. Unde profuſis &c.

Concede, quæſumus, Domine Deus noſter, ut qui ad deſtructionem Diaboli, & remiſſionem natus eſt hodie peccatorum,

rum, & à culparum ſubreptione nos expiet, & ab hoſtium incurſione defendat. Per &c.

Da, quæſumus, Domine, Populo tuo inviolabilem Fidei firmitatem; ut qui Unigenitum tuum in tua tecum gloria ſempiternum, in veritate noſtri corporis natum de matre Virgine confitentur, & à preſentibus liberentur adverſis, & manſuris gaudiis inſerantur. Per &c.

V. *Item alia*.

Da nobis, omnipotens Deus, ut ſicut adoranda Filii tui Natalitia prævenimus, ſic ejus munera capiamus ſempiterna gaudentes. Per &c.

Tanto nos, Domine, quæſumus, promtiore ſervitio hæc præcurrere concede ſolemnia, quanto in his conſtare principium noſtræ redemtionis oſtendis. Per &c.

Verè dignum. Solemnitas enim, Domine, cæleſtis pacis ingreditur. Quæſumus, ut per eam gratiam, per quam tibi reconciliatus eſt Mundus peccatorum remiſſione cunctorum, nos quoque delictis omnibus expiati, remediis tuæ pietatis aptemur; & Miſterium, quod exſtitit Mundo ſalutare, principalis recordatione muneris aſſequamur. Per &c.

Deus, qui nos Sacramenti tui participatione contingis, virtutis ejus effectus in noſtris cordibus operare; ut ſuſcipiendo muneri tuo per ipſum munus aptemur. Per &c.

Benedictio tua, Domine, ſuper Populum ſupplicantem copioſa deſcendat; ut qui, te factore conditus, te eſt reparatus auctore, te jugiter operante ſalvetur. Per &c.

VI. *Item alia*.

Deus, qui reſtaurationem conditionis humanæ mirabilius operaris, quàm ſubſtantiam condidiſti: tribue, quæſumus, ut ſimul perficiatur in nobis & quod creavit Verbi tui divina generatio, & quod ejus Hominis facti glorioſa Nativitas reformavit. Per &c.

Tot ſenſibus hodiernum, Domine, Sacrificium celebramus,

mus, quo nobis ipſius Sacrificii ſunt nata primordia. Per &c.

Verè dignum. Quoniam magnificum noſtræ commercium reparationis effulſit; quum de homine veteri novus homo curatus exiſtit; quum de mortalitate immortalitas; quum humana conditio de ipſius humanæ conditionis confecta medicatione ſanatur, & de obnoxia generatione peccato, totius peccati neſcia proles exoritur: ac non ſolùm noſtra à Verbo tuo ſuſcepta fragilitas perpetuiſit honoris, ſed nos quoque mirando conſortio reddis æternos. Per &c.

VII. *Item alia*.

Exſultantes, Domine, cum muneribus ad altaria veneranda concurrimus, quia & omnium nobis hodie ſumma votorum, & cauſa noſtræ redemtionis exorta eſt. Per &c.

Verè dignum. Quoniam verè magnum, quod ſine exemplo eſt ſingulare; quod ſine humana ratiocinatione mirabile, tuæ pietatis editum ſacramentum. Atque ideo ſicut primis fidelibus exſtitit in ſui credulitate pretioſum, ita nunc excuſabilem conſcientiam non relinquit, quæ ſalutaris myſterii veritatem, toto etiam Mundo teſtificante, non ſequitur. Ut enim in principio difficile videretur, quum ad hoc ſacramentum genus humanum diceretur eſſe venturum; ſic opus Majeſtatis immenſæ negari nefas eſt, quum cernitur ubique conſpicuum. Vnde profuſis. &c.

Concede nobis, Domine, quæſumus, ut ſancta tua tibi placito corde ſumamus; & quidquid in noſtra mente vitioſum eſt, ipſius doni medicatione curetur. Per &.

VIII. *Item alia*.

Deus, qui humanum genus, à ſuo Principe lethaliter ſauciatum, Chriſti tui Nativitate ſalvare dignaris; præſta, quæſumns, ut non hæreamus in perditionis auctore, ſed ad Redemtoris noſtri conſortia transferamur. Per &c.

Oblatio tibi ſit, Domine, hodiernæ feſtivitatis accepta;

qua & noſtræ reconciliationis proceſſit perfecta placatio, & divini cultus nobis eſt indita plenitudo, & via veritatis & vita regni cæleſtis apparuit. Per &c.

Verè dignum. Quia noſtri Salvatoris hodie lux vera proceſſit, quæ clara nobis omnia & intellectu manifeſtavit & viſu. Quibus non ſolùm præſentem vitam ſuo ſplendore dirigeret, ſed ad ipſam nos majeſtatis immenſæ gloriam perduceret intuendam. Per &c.

Da nobis, Domine, quæſumus, ipſius recenſita Nativitate vegetari, cujus cæleſti myſterio paſcimur & potamur. Per &c.

IX. *Item alia.*

Ut ad ſalutaris hodiernæ generationis exordium pertinere mereamur, Apoſtolicis tribue nos, Domine, quæſumus, precibus adjuvari. Per &c.

Præſenti Sacrificio, Domine, tua generaliter exſultet Eccleſia: quo infirmitatis ejus ſunt aſſumtæ primitiæ, ut divinæ particeps fieret ipſa potentiæ. Per &c.

Verè dignum. In die ſolemnitatis hodiernæ, quo licèt ineffabile, tamen utrumque conveniens editur ſacramentum: quia & mater Virgo non poſſet niſi ſobolem proferre divinam, & Deus, homo naſci dignatus, congruentius non deberet, niſi Virgine matre generari. Propterea &c.

Præſta, miſericors Deus, ut natus hodie Salvator Mundi, ſicut divinæ nobis generationis eſt auctor, ita & immortalitatis ſit ipſe largitor. Per &c.

Deus, qui creationem conditionis humanæ diabolicis non es paſſus perire nequitiis, remedia tuæ propitiationis exſequere, ut in eadem non prævaleat inimica ſubreptio, ſed redemtio tuæ miſerationis, pietatis obtineat. Per &c.

In No-

In Natali Sancti Johannis Evangeliſtæ.

I.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hujus diei venerandam, ſanctamque lætitiam beati Apoſtoli tui Johannis Evangeliſtæ feſtivitate tribuiſti. Da Eccleſiæ tuæ, quæſumus, & amare, quod credidit, & prædicare, quod docuit. Per &c.

Deus, qui per os beati Apoſtoli tui Johannis Evangeliſtæ Verbi tui nobis arcana reſeraſti: præſta, quæſumus, ut quod ille noſtris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per &c.

Munus Populi tui, Domine, quæſumus Apoſtolica deprecatione ſit gratum; ut Eccleſia tua eorum ſemper interceſſionibus adjuvetur, quorum, jugiter inſtruitur diſciplinis. Per &c.

Verè dignum. Beati Apoſtoli tui Johannis Evangeliſtæ Natalitia venerantes. Qui Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui vocatione ſuſcepta, terrenum reſpuit patrem, ut poſſet invenire cæleſtem: retia ſæculi, quibus implicabatur, abjecit, ut æternitatis dona mente libera ſectaretur: nutantem fluctibus navem reliquit, ut in Eccleſiaſticæ gubernationis tranquillitate conſiſteret: à piſcium captione ceſſavit, ut animas, mundanis gurgitibus immerſas, calamo doctrinæ ſalutaris abſtraheret: deſtitit pelagi profundari mari, ſecretorum ſcrutator redditus divinorum. Eo uſque procedens, ut & in Cœnæ myſticæ ſacroſancto convivio in ipſius recumberet pectore Salvatoris. Et eum in cruce Dominus conſtitutus, vicarium ſui, matri Virgini, filium ſubrogaret, & *in principio Verbum, quod Deus erat apud Deum*, præ ceteris oſtenderet prædicandum. Per &c.

Præſta nobis, Domine, quæſumus, Apoſtolicis doctrinis & præcibus adjuvari; ut quod præſentibus celebramus officiis, perpetuæ ſalvationis, (*a*) redemptionis, gaudiis aſſequamur. Per &c. Pro-

(a) redemtionis, *illatum ex varianti lectione.*

Proſequere, Dominum, Populum tuum, ut Apoſtolorum Natalitia beata ſanctorum & temporali conſolatione fultus ſemper exerceat, & æterna miſeratione redemtus agnoſcat. Per &c.

II. *Item alia*.

Natalitia ſancti Joannis Apoſtoli, quæſumus, Domine, munera capiamus; ut ſuis præcibus glorioſis, & credendum nobis jugiter poſtulet, & ſequendum, beatus Evangeliſta, quod docuit. Per &c.

Supplicationibus Apoſtolicis beati Johannis Evangeliſtæ, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, Domine, commendetur oblatio, cujus magnificis prædicationibus eruditur. Per &c.

Verè dignum. Beati Johannis Apoſtoli gloriam recenſentes. Qui ab Unigenito tuo ſic familiariter eſt dilectus, & immenſæ gratiæ revelationibus inſpiratus; ut omnem tranſgrediens creaturam, excelſa mente conſpiceret, & Evangelica voce proferret, quia *in principio erat Verbum*, *& Deus erat Verbum*, *& quia hoc erat in principio apud Deum*. Dicendo quippe *erat*, perpetuitatem ſine initio demonſtravit. Addendo *& Deus erat Verbum*, *& hoc erat in principio apud Deum*, & diſtinctionem protulit Perſonalem, & unam tecum Filio tuo patefecit habere Deitatem. Qua majeſtatis æternæ claritate depromta, ſummæ Divinitati cederet vocata Gentilitas, & Hæreticorum confutata verſutia, nec confuſionem prætenderet unionis, nec conſempiternitatis minueret veritatem. Per &c.

Miſerator & miſericors Domine, qui nos continuis cæleſtium Martyrum non deſeris ſacramentis: præſta, quæſumus, ut, quæ ſedulo celebramus affectu, grato tibi percipiamus obſequio. Per &c.

Eccleſiam tuam, Domine, benignus illuſtra, ut Apoſtolicis beati Johannis Evangeliſtæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat, quæ de tua fidelibus retributione promiſit. Per &c.

In Na-

In Natali Innocentum.

I.

Deus, qui bonis tuis infantum quoque tui neſcia Sacramenti corda præcedis, tribue, quæſumus, ut noſtræ conſcientiæ fiduciam non habentes indulgentia ſemper copioſa præveniat. Per &c.

Suſcipe, Domine, quæſumus, devotorum munera famulorum; & tuis divinis purifica ſervientes pietate myſteriis, quibus etiam juſtificas ignorantes. Per &c.

Verè dignum. Pretioſis enim mortibus parvulorum, quos, propter Filii tui Domini noſtri & Salvatoris infantiam, beſtiali ſævitia Herodes funeſtus occidit, immenſa clementiæ tuæ dona cognoſcimus. Fulget namque magis ſola gratia, quàm voluntas; & clara eſt prius confeſſio, quàm loquela; ante paſſio, quàm membra paſſionis exiſterent; teſtes Chriſti, qui ejus nondum fuerant agnitores. O infinita benignitas! quum pro ſuo nomine trucidatis, etiam neſcientibus, meritum gloriæ perire non patitur; ſed proprio cruore perfuſis, & ſalus regenerationis expletur, & imputatur corona martyrii. Per &c.

Hodiernæ ſolemnitatis effectu ſumſimus, Domine, gaudia magna de parvis; ſuppliciter exorantes, ut hanc abundantiam in noſtra quoque ſalvatione defendas. Per &c.

Lætetur ſemper Eccleſia tua, Domine, tuorum celebritate Sanctorum, & miſericordiæ tuæ jugiter experiatur effectum, quo & fragilitas humana ſubſiſtat, & divina ſupplici redemtio non negetur. Per &c.

II. *Item alia.*

Deus, qui licèt ſis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſus operaris in minimis: da nobis, quæſumus, in eorum celebritate gaudere, qui filio tuo Domino noſtro teſtimonium præbuerunt etiam non loquentes. Per &c.

Adeſto, Domine, muneribus, Innocentum feſtivitate ſacrandis; & præſta, quæſumus, ut eorum ſinceritatem poſſimus

mus imitari, quorum tibi dicatam veneramur infantiam. Per &c.

Verè dignum. Audivimus enim Prophetam dicentem: quod *Rachel plorans filios ſuos, noluerit conſolari, quia non ſunt*. Mœrebat ergo, quod de ejus ſobole non venirent, qui tanto ſunt munere coronati. De Liæ quippe ſunt ſtirpe progeniti; quorum divina gratia prævenit & ſenſum; intelligentiam paſſio, & martyrii palma mirabilis præceſſit ætatem; ut etiam veneranda noſtri Salvatoris infantia coætaneis teſtificationibus exiſteret glorioſa. Per &c.

Annue, quæſumus, omnipotens Deus, ut ſicut eos, quorum Natalitia recenſemus, per tuam gratiam beneplacitos fecit ætas exitu, ſic nos tuæ pietati ſalutaris humilitas præſtes acceptos. Per &c.

Tribue, Domine, quæſumus, Fidelibus tuis, ut, ſicut ait Apoſtolus, non efficiantur pueri ſenſibus, ſed malitia innoxii reperiantur ut parvuli; ut Martyres feſtivitatis hodiernæ, quos meritis æquare non poſſunt, mentis ſimplicitate ſectentur.

In Jejunio Menſis Decimi.

I.

Deus, qui ſingulis quibuſque competenter aptanda temporibus ſempiterno cernis intuitu: da nobis, quæſumus, ut cum rerum viciſſitudine mundanarum ad bona quoque perpetua piæ devotionis creſcamus acceſſu. Per &c.

Dies nooſtros, Domine placatus intende; & quos præſenti curſu multiplicas, juſtis operibus redde ſecuros. Per &c.

Eccleſiæ ruæ, Domine, munera placatus aſſume; quæ & miſericors offerenda tribuiſti, & in noſtræ ſalutis potenter efficis tranſire myſterium. Per &c.

Verè dignum. Quia per ea, quæ conſpiciuntur, inſtruimur, quibus modis ad inviſibilia tendere debeamus. Denique commonemur, anni docente ſucceſſu, de præteritis in futura, & ad novitatem vitæ de vetuſtate tranſire; ut terrenis ſubſtenta-

ſtentationibus expediti, cæleſtis doni capiamus deſiderabilius ubertatem, & per eum cibum, qui beneficiis prærogatur alternis, perveniamus ad victum ſine fine manſurum. Per &c.

(a) Tuorum nos, Domine, largitate donorum & temporalibus attolle præſidiis, & renova ſempiternis. Per &c.

Diverſis plebs tua, Domine, gubernata ſubſidiis, & præſentia pietatis tuæ remedia capiat & futura; ut tranſeuntium rerum neceſſaria conſolatione foveatur, & fiducialius ad æterna contendat. Per &c.

11. *Item alia.*

Cognoſcimus, Domine, tuæ circa nos clementiæ largitatem. Et ideo fiducialius imploramus, ut, quos paſcere non deſinis immeritos, & digne tibi ſervire perficias, & donis uberioribus proſequaris.

Da, quæſumus, Domine, noſtris effectum jejuniis ſalutarem, ut caſtigatio carnis aſſumpta ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum. Per &c.

Suſcipe, Domine, Sacrificium, cujus te voluiſti dignanter immolatione placari: & præſta, quæſumus, ut hujus operatione mundati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum. Per &c.

Verè dignum. Qui nos tamquam nutritius parvulorum inſtituens, diſpenſatis mentis & corporis alimentis, per humanorum foves incrementa proventuum, donec immortalem ſatietatem, pro noſtro quiſque modulo, finita mortalitate capiamus. Per &c.

Myſteriis tuis, Domine, veneranter aſſumtis, quæſumus ut contra noſtræ conditionis errorem, & contra diabolicas armemur inſidias. Per &c.

Sit plebi tuæ, Domine, continuata defenſio divini participatio ſacramenti, ut carnalibus vitiis non teneatur obnoxia; ut ſpiritali delectatione ſit libera; ut majeſtati tuæ plena ſit devo-

(a) *In Margine*: Poſt cibos.

devotione ſubjecta; ut ſalvationem mentis & corporis & inceſſabiliter expetat, & affluenter accipiat. Per &c.

111. *Item alia*.

(*a*) Supplices, Domine, te rogamus, ut fructuum terrenorum commodis ſufficienter adjuti, ad te omnium proficiamus auctorem. Per &c.

Cordibus noſtris, quæſumus, Domine; benignus infunde, ut ſicut ab eſcis corporalibus temperamus, ita ſenſus quoque noſtros à noxio retrahamus exceſſu. Per &c.

Hujus nobis parſimoniæ, quæſumus, Domine, præbe menſuram; ut quod licentiæ carnis auferimus, ſalutarem nobis fructum mentis acquirat. Per &c.

Subde tibi noſtras, quæſumus, Domine, voluntates, ut ſemper & fide, quæ præcipis, & actione ſectemur. Per &c.

Precamur, omnipotens Deus, ut de tranſitoriis operibus ea potius operemur, quibus ad æterna gaudia conſequenda & ſpes nobis ſuppetat & facultas. Per &c.

Pacem nobis tribue, Domine, mentis & corporis, ut noſtræ fragilitatis & manifeſti ſubjiciantur hoſtes, & inviſibiles excludantur. Per &c.

Præſta, Domine, quæſumus, ut dicato muneri congruentem noſtræ devotionis offeramus affectum. Per &c.

Verè dignum. Quoniam ſalubri medicante jejunio, neceſſaria curationi tractamus, & per obſervantiæ competentis obſequium, de perceptis grati muneribus, de percipiendis efficimur gratiores; ut non ſolùm terrena fertiliiate lætemur, ſed nativitatem Panis æterni purificatis ſuſcipiamus mentibus honorandam. Per &c.

Sumſimus, Domine; celebritatis annuæ votiva Sacramenta. Præſta, quæſumus, ut & temporalis vitæ nobis remedia præbeant & æternæ. Per &c.

Tuere, Domine, plebem tuam, & ſacra ſolemnia recolentem

(a) *In margine*: Poſt cibos.

lentem cæleſtis gratiæ largitate proſequere; ut viſibilibus adjuta ſolatiis, ad inviſibilia bona promtius incitetur. Per &c.

IV. *Item alia*.

Reſpice, Domine, propitius ad plebem tuam; & quam divinis tribuis proficere Sacramentis, ab omnibus abſolve peccatis. Per &c.

Succurre, Domine, quæſumus, Populo tuo, & nullum ſequi patiaris errorem, quem tuæ vis complicem fieri veritatis. Per &c.

Quæſumus, omnipotens Deus, Eccleſiæ tuæ tempora clementi gubernatione diſpenſa: ut cum ſolemnitatum multiplicatione ſanctarum, & intellectum rerum cæleſtium capiat & profectum. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine, ſpiritalibus gaudiis nos repleri; ut quæ actu gerimus, mente ſectemur. Per &c.

Offerimus tibi, Domine, munera, ſupplicantes, ut quæ ſubditis (*a*) piis celebramus officiis, plenis affectibus exſequamur. Per &c.

Verè dignum. Qui non ſolùm ineffabilis in excelſis, ſed etiam immenſus probaris in minimis. Nam quum Filius tuus, Dominus noſter, Jeſus Chriſtus, Mundum diceret univerſum in ſuum nomen eſſe ceſſurum, quis non veluti putaret abſurdum? Quis, quum fieri videat, neget eſſe divinum? cernenſque promiſſa compleri, merito ſequutura jam dubitet, quæ pariter prædicata ſunt eſſe ventura? Sicut autem beatiores illi, qui nondum apparentia crediderunt, ita nos & inexcuſabiliores, ſi nec experta fateamur &, nihilominus gratiores, exſiſtimus ſi quæ manifeſta non ſunt, confidimus adfutura. Per &c.

Refecti vitalibus alimentis, quæſumus, Domine quod tempore noſtræ mortalitatis exſequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur. Per &c.

Super Populum tuum, Domine, quæſumus, benedictio copio-

(a) Piis *abundat ex varianti lectione*.

copioſa deſcendat; indulgentia veniat; conſolatio tribuatur; Fides ſancta ſuccreſcat; redemtio ſempiterna firmetur. Per &c.

V. *Item alia.*

Eſto, Domine, propitius plebi tuæ, & temporali conſolatione non deſeras, quam vis ad æterna contendere. Per &c.

Sacrificiis præſentibus, Domine, quæſumus, intende placatus; ut & devotioni noſtræ proficiant & ſaluti. Per &c.

Verè dignum. Qui non ſolùm peccata dimittis, ſed ipſos etiam juſtificas peccatores, & reis non tantùm pœnam relaxas, ſed donas & præmia. Per &c.

Præſta, quæſumus, Domine Deus noſter, Sacramentum hoc in Eccleſiis tuis indifferenter intelligi; ut unus Chriſtus in Dei atque Hominis veritate, nec à noſtra diviſus natura, nec à tua diſcretus adoretur eſſentia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Laudent te, Domine, ora noſtra: laudet anima: laudet & vita. Et quia tui muneris eſt, quod ſumus, tuum ſit omne, quod vivimus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Suſcipite, venerabiles Martyres, etſi indigni cultoris offer..... vota totius Populi pro..... attendite, ut qui de veſtrorum meritorum eſtis remuneratione ſecuri, ſitis de noſtrorum criminum remiſſione ſoliciti.

Incipit Benedictio Fontis.

Precem tibi fundimus, Domine rerum, genitor æterne, omnipotens Deus, cujus Spiritus ferebatur ſuper aquas, cujus oculi excelſi aſpexerunt ſuper Jordanem fluvium, dum tingueret Johannes in pœnitentiam confitentes peccata ſua. Ideoque petimus ſanctam gloriam tuam, ut ſit abſconſa manus tua in hanc Aquam; ut emundes & purifices deteriorem hominem, qui baptizabitur ex ea, & mortiferis delictis renaſcatur ac reviviſcat per hominem novum, renatum in Chriſto Jeſu; cum quo vivis & regnas in unitate Spiritus Sancti in ſæcula ſæculorum.

HEIC EXPLICIT CODEX.

DIS-

DISSERTATIO
In qua Novatorum Euchariſticæ quædam formulæ exhibentur, & illegittimæ demonſtrantur.

FIDEM, qua me obligaveram in Diſſertat. de *Origine Liturgiarum* Tom.4.præfixa, pag.174. ad evulgandos Rituales Novatorum libros, heic ex parte liberare decrevi, ut viri ampliſſimi, & de me optime meriti voluntati morem gererem.

Ergo ne homines extra Catholicæ Eccleſiæ communionem variis Lutheri, Zuvinglij, Calvini, ſimiliſque furfuris Hereticorum erroribus detenti, juſte de me conqueri poſſint, quod vel mala fide formulas cœnæ, ut ipſi dicunt, quas in Liturgia adhibent, recitaverim, vel eas iniqua agendi ratione ſeveriſſimis criticis notis ſubjecerim, vel demum, quod partium ſtudio abreptus, uni veritati chriſtianæ litare noluerim, Rem totam ita conficere ſtudebo, ut neque fidem deſiderent, neque charitatem requirant, qui doctrinæ fama inter novatores inclareſcunt, qui verò dociles, & ad veritatem juſtitiamque ad ſequendam, ac tenendam ſunt diſpoſiti, eam aſpirante Dei gratia facile poſſint videre, & obtinere.

CAPUT PRIMUM.
Martini Lutheri Liturgia proponitur.

EX quo Martinus Lutherus ſuum virus in Eccleſiam Catholicam evomere cœpit, & à Leone X. ad Concilium adpellavit, librum *de Captivitate Babylonica* edidit anno 1520.

in quo de Sacrificio Miſſæ, de Tranſubſtantiatione, deque Miſſa privata, ea Scripturivit, quæ ſtomachum legentis conturbant, addiditque alia, quæ ad præſens non pertinent inſtitutum, adeo ut Antichriſtus, quem Chriſtus religaſſe dicitur in Johannis Apocalypſi, per orbem liber in Martino Luthero diſcurrere videretur.

Tum eodem ann. 1520. Leonis X. Bullam una cum cœteris decretalibus luciferina Superbia diſtentus damnavit, maledixit, & execratus eſt, ac igni comburendos tradidit. vid. tom. 2. operum ejus edit. Jhenæ ann. 1557. fol. 302. & ſeq. fol 334. 337. 338. Sub finem anni 1521. tractatum edidit *de abroganda Miſſa privata*, qui impreſſus januario ann. 1522. directus fuit ad fratres Auguſtinenſes cœnobij Wittembergenſis, quibuſcum gratulatur, quod primi tantum facinus admiſerint, uſum Miſſæ privatæ abrogantes vid. fol. 463. à tergo. & ſeq.

Itaque ann. 1523. formulam Miſſæ & communionis pro Eccleſia Wittembergenſi præſcripſit, quam ex 4. tomo edit. ann. 1600. Jhenæ pariter factæ pag. 556. heic deſcribimus,

FORMVLA MISSÆ, ET COMMVNIONIS PRO ECCLESIA WITTEMBERGENSI.

Venerabili in Chriſto D. Nicolao Hauſmanno Epiſcopo Cigneæ Eccleſiæ, in Chriſto Salutem.
Martinus Lutherus.

HActenus libellis, & ſermonibus egi inter populos, ut corda primum ab impiis opinionibus cæremoniarum avocarem, Chriſtianum & commodum arbitratus me facere, ſi cauſa fierem ut abſque manibus contereretur abominatio, quam Satan per hominem peccati in loco Sancto ſtatuerat. Proinde nihil vi, aut imperio tentavi, nec vetera novis mutavi, ſemper cunctabundus & formidabundus, tum propter imbecilles in fide ani-

de animos, quibus ſubito eximi non potuit tam vetus, & inolita, nec inſeri tam recens, & inſueta ratio colendi Dei, tum maxime propter leves illos & faſtidioſos ſpiritus, qui ceu ſues immundæ ſine fide, ſine mente irruunt, & ſola novitate gaudent, atque ſtatim ut novitas eſſe deſiit nauſeant. Quo genere hominum, cum in rebus cœteris nihil eſt moleſtius, tum in rebus ſacris ſunt moleſtiſſimi & intollerabiles, quamvis ut rumpar ira, ferre illos cogor, niſi velim & Evangelium ipſum è publico tollere.

Sed cum jam ſpes ſit, multorum corda per gratiam Dei illuſtrata eſſe, & roborata, ipſaque res poſcat, ut tandem ſcandala tollantur de regno Chriſti, audendum eſt aliquid in nomine Chriſti, juſtum eſt enim, ut vel paucis conſulamus, & dum iſtorum futura ſcandala cavere volumus, univerſas abominationes illorum roboremus.

Quare de formula aliqua pia miſſandi, (ut vocant) & communicandi, ut et tu poſtulaſti toties, optime Nicolae, agemus, ac ſic agemus, ut non amplius ſolum verbo doctrinæ corda regamus, ſed manum quoque apponamus, & publica adminiſtratione in Opus perducamus, nulli prorſus præjudicantes, ne aliam amplecti, & ſequi liceat. Quin ex animo per Chriſtum obſecramus, ut ſi quid melius illis revelatum fuerit, nos priores tacere jubeant, ut communi opera rem communem juvemus.

In primis itaque profitemur non eſſe, nec fuiſſe unquam in animo noſtro omnem cultum Dei prorſus abolere; ſed eum, qui in uſu eſt, peſſimis additamentis vitiatum, repurgare, & uſum pium monſtrare. Nam hoc negare non poſſumus, miſſas, & communionem panis, & vini ritum eſſe à Chriſto divinitus inſtitutum, qui ſub ipſo Chriſto primum, deinde ſub Apoſtolis, ſimpliciſſime, atque piiſſime abſque ullis additamentis obſervatus fuit, ſed ſucceſſu temporum tot humanis inventis auctus, ut præter nomen, ad noſtra ſæcula nihil de Miſſa, & Communione pervenerit.

Ac primorum Patrum additiones, qui unum aut alterum pſalmum ante benedictionem Panis, & Vini, levi voce oraſſe leguntur, laudabiles fuere, quales Athanaſius, & Cyprianus fuiſſe putantur. Deinde qui *Kirie eleiſon* addiderunt, & ipſi placent. Nam ſub Baſilio Magno legimus *Kirie eleiſon* fuiſſe in uſu totius populi publico. Jam Epiſtolarum, & Evangeliorum lectio etiam neceſſaria fuit, & eſt, niſi quod vitium eſt ea lingua legi, quæ vulgo non intelligitur.

Poſt vero, ubi cantus cæpit, mutati ſunt pſalmi in *Introitum*, tum additus eſt hymnus ille angelicus *Gloria in excelſis, & in terra pax. Item Gradualia & alleluja*, & Symbolum Nicænum, *Sanctus, Agnus Dei, Communio*, quæ omnia talia ſunt, ut reprehendi non poſſint, præſertim, quæ de tempore, ſeu dominicis diebus cantantur. Qui dies ſoli adhuc priſcam puritatem teſtantur, excepto Canone.

At ubi jam licentia fiebat addendi, & mutandi, prout cuivis libebat, accedente tum quæſtus, & ambitionis ſacerdotalis tyrannide, tum cæperunt altaria illa, & inſignia Baal, & omnium Deorum poni in templum Domini per impios Reges noſtros, ideſt Epiſcopos, & Paſtores, hic ſuſtulit impius Ahas altare æreum; & conſtituit aliud è Damaſco petitum, loquor autem de Canone illo lacero, & abominabili, ex multorum lacunis ceu ſentina collecto. Ibi cœpit miſſa fieri Sacrificium, ibi addita offertoria, & collectæ mercenariæ, ibi ſequentiæ, & proſæ inter *Sanctus, & gloria in excelſis* inſertæ. Tum cœpit miſſa eſſe monopolium Sacerdotale totius Mundi opes exhauriens, divites ocioſos, potentes & voluptuarios, & immundos illos cœlibes toto orbe, ſeu vaſtitatem ultimam exundans. Hinc Miſſæ pro defunctis, pro itineribus, pro opibus, & quis illos titulos ſolos numeret, quorum miſſa facta eſt ſacrificium?

Neque hodie ceſſat Canon iſte augeri, aliis & aliis feſtis, alias actiones, alios communicantes aſciſcens. Ut taceam memorias vivorum, & mortuorum nondum ad finem ſui auctas.

Nam

Nam additamenta externa, veſtium, vaſorum; cereorum, pallarum deinde, organorum, & totius muſicæ, imaginum, quid dicam? nihil pene fuit in toto orbe artificiorum, quod non magna exparte ſua negotia, ac quæſtum ſuum haberet, & è miſſa aleretur.

Tranſierint itaque iſta, & adhuc tranſeant, revelante Evangelio abominationes tantas, donec penitus aboleantur. Nos interim omnia probabimus, quod bonum eſt, tenebimus. Verum hoc libro dicere omittimus Miſſam non eſſe ſacrificium ſeu opus ſacrificantis, quod alias abunde docuimus. Aprehendamus eam, ut Sacramentum, ſeu teſtamentum, ſeu Benedictionem Latine, Euchariſtiam Græce, vel Menſam Domini, vel Cœnam Domini, vel Memoriam Domini, vel Communionem, vel quocumque nomine pio placet; modo Sacrificii, aut operis titulo non polluatur, & ritum monſtremus, quo nobis viſum eſt illa uti.

Primo *Introitus Dominicales, & in Feſtis Chriſti* nempe, *Paſcatis, Pentecoſtes, Nativitatis.* probamus, & ſervamus, quanquam pſalmos mallemus, unde ſumpti ſunt, ut olim, ſed nunc ſic uſui recepto indulgebimus. Quod ſi qui Apoſtolorum Virginis, aliorumque Sanctorum introitus (quando e pſalmis, aut aliis ſcripturis ſumpti ſunt) probare volent, non damnamus. Nos Wittembergæ ſolis Dominicis & Feſtis Domini ſabbatiſare queremus, omnium Sanctorum Feſta pro rſus abroganda, vel ſi quid dignum in eis eſt, in Dominicalibus concionibus miſcenda eſſe putamus. Feſtum Purificationis, & Aununciationis pro Feſtis Chriſti, ſicut Epiphania, & circumciſionem, habemus. Loco Feſti Sancti Stephani, & Johannis Evangeliſtæ, officium Nativitatis placet; Feſta S: Crucis Anathema Sunto. Alii faciant pro ſua conſcientia, vel aliorum infirmitate, quod ſpiritus ſuggeſſerit.

Secundo *Kiric eleiſon*, ut hactenus celebratum eſt, variis melodiis pro diverſis temporibus amplectimus cum ſequenti hy-

ti hymno Angelico. *Gloria in Excelſis*, tamen in arbitrio ſtabit Epiſcopi, quoties illum omitti voluerit.

Tertio, ſequens oratio illa, ſeu collecta, modo ſit pia, (ut fere ſunt, quæ Dominicis diebus habentur) perſeveret ritu ſuo, ſed ea dumtaxat, unica. Poſt hanc lectio Epiſtolæ, verum nondum tempus eſt, & hic novandi, quando nulla impia legitur. Alioqui cum raro ex Epiſtolis Pauli legantur, in quibus fides docetur ſed potiſſimum morales, & exhortatoriæ, ut ordinator ille Epiſtolarum videatur fuiſſe inſigniter indoctus, & ſuperſtitioſus operum ponderator, officium requirebat eas potius pro majore parte ordinare, quibus fides in Chriſtum docetur. Idem certe in Evangeliis ſpectavit ſæpius, quisquis fuit lectionum iſtarum auctor: ſed interim ſupplebit hoc vernacula concio, Alioqui ſi futurum eſt, ut vernacula miſſa habeatur, (quod Chriſtus faveat,) danda eſt opera ut Epiſtolæ, & Evangelia ſuis optimis, & potioribus locis legantur in Miſſa.

Quarto, *Graduale* duorum verſuum ſimul cum *Halleluja* vel alterutrum juxta arbitrium Epiſcopi cantetur. Porro *Gradualia* quadrageſimalia, & ſimilia, quæ duos verſus excedunt, cantet quisquis velit in domo ſua. In Eccleſia nolumus tædio extinguit ſpiritum fidelium, ſed nec ipſam quadrageſimam, ſive majorem Hebdomadam aut ſextam feriam pænoſam, aliis ritibus oſtentare decet, quam alias quaſcumque, ne ſemimiſſa, & altera ſacramenti parte Chriſtum amplius ludere, & ridere velle videamur. *Halleluja* enim vox perpetua eſt Eccleſiæ, ſicut perpetua eſt memoria paſſionis, & victoriæ ejus.

Quinto. Sequentias, & proſas nullas admittimus, niſi Epiſcopo placuerit illa brevis in nativitate Chriſti: *Grates nunc omnes*. Neque ferme ſunt, quæ ſpiritum redoleant, niſi illæ de Spiritu Sancto: Sancti Spiritus, & veni Sancte Spiritus, & pauculæ aliæ, quas, vel poſt prandium vel ſub veſperis, vel ſub Miſſa, ſi Epiſcopo placet, cantari licet.

Sexto

Sexto. Sequitur Evangelii lectio, ubi nec candelas, neque thurificationem prohibemus, ſed nec exigimus, eſto hoc liberum.

Septimo: ſymbolum Nicenum cantari ſolitum non diſplicet, tamen, & hoc habet in manu Epiſcopus. Idem de vernacula concione ſentimus, ut nihil referat, ſive hic poſt *Symbolum*, ſive ante *Introitum* miſſæ fiat, Quamquam eſt alia ratio cur aptius ante Miſſam fiat, quod Evangelium ſit vox clamans in deſerto, & vocans ad fidem infideles, Miſſa vero ſit uſus ipſe Evangelij & communio menſæ Domini, quæ dumtaxat fidelium eſt, & ſeorſum fieri conveniebat. Sed tamen liberos nos ratio iſta non ligat, præſertim quod omnia, quæ uſque ad ſymbolum in Miſſa fiunt, noſtra ſunt, & libera, à Deo non exacta: quare nec ad Miſſam neceſſario pertinent.

Octavo, ſequitur tota illa abominatio, cui ſervire coactum eſt, quidquid in Miſſa præceſſit, unde & *offertorium*, vocatur, & hinc omnia fere ſonant ac olent oblationem. In quorum medio verba illa vitæ, & ſalutis ſic poſita ſunt, ceu olim arca Domini in Templo Idolorum juxta Dagon. Et nullus eſt ibi Iſraelita, qui vel accedere, vel arcam reducere poſſit, donec ipſa hoſtes ſuos in poſteriora percuſſos opprobrio ſempiterno nobilitavit, & ſe ſe dimittere compulit. Quæ eſt parabola inſtantis temporis. Proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationem ſonant cum univerſo canone, retineamus, quæ pura, & ſancta ſunt, ac ſic Miſſam noſtram ordiamur.

1. Sub ſymbolo, vel poſt concionem adparetur panis & vinum ad benedictionem ritu ſolito. Niſi, quod nondum conſtitui mecum, miſcenda ne ſit aqua vino, quamquam huc inclino, ut merum potius vinum paretur abſque aquæ mixtura quod ſignificatio me male habeat, quam Eſa. 1. ponit vinum tuum, inquit, mixtum eſt aqua. Merum vinum enim pulchre figurat puritatem Doctrinæ Evangelicæ. Deinde quod pro nobis non eſt fuſus niſi ſolus ſanguis Chriſti impermixtus noſtro, cujus

cujus ibi memoriam facimus. Ut non ſtet illorum ſomnium, qui dicunt ibi figurari unionem noſtri cum Chriſto. Hujus unionis memoriam hic non facimus; nec ſumus uniti ante ejus fuſionem, alioqui ſimul noſter quoque Sanguis cum Sanguine Chriſti pro nobis fuſus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducam legem ſuperſtitioſam. Chriſtus hæc non magnopere curabit, nec res digna eſt contentione, pugnavit ſatis hanc pugnam ſtultam Romana, & Greca Eccleſia, ut & alias multas.

Quod vero aliqui adducunt e latere Chriſti fluxiſſe aquam cum ſanguine nihil probat. Aliud enim illa aqua ſignificat, quam volunt per hanc mixtam aquam ſignificari, ſed nec mixta illa fuit cum ſanguine: figura inſuper nihil probat, exemplum autem non conſtat: Quare ut humanum inventum libere tractetur.

2 Apparato pane, & vino mox procedatur ad hunc modum: *Dominus vobiſcum. Reſpon: & cum ſpiritu tuo: ſurſum corda: Reſpon: habeamus ad Dominum; Gratias agamus Domino Deo noſtro: Reſpon: dignum & juſtum eſt. vere dignum & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte pater omnipotens æterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum.* Deinde:

3 *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, gratias agens fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens: accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.*

Similiter, & calicem poſt quam cœnavit, dicens, hic calix eſt novi teſtamenti in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotieſcunque feceritis in mei memoriam faciatis.

Hæc verba Chriſti velim modica poſt præfationem interpoſita pauſa, in eo tono vocis recitari, quo canitur alias oratio dominica in canone, ut à circumſtantibus poſſit audiri, quanquam in his omnibus libertas ſit piis mentibus, vel ſilenter, vel palam ea verba recitare. Fini-

4. Finita benedictione, Chorus cantet *Sanctus*, & ſub cantu *Benedictus*, elevetur Panis, & Calix, ritu hactenus ſervato, vel propter infirmos, qui hac repentina hujus inſignioris in Miſſa ritus mutatione forte offendentur, præſertim ubi per conciones vernaculas docti fuerint, quid ea petatur elevatione.

5. Poſt hæc legatur oratio Dominica *Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati &c.* omiſſa oratione ſequenti: *libera nos quæſumus* cum omnibus ſignis, quæ fieri ſolent ſuper Hoſtiam, & cum Hoſtia ſuper Calicem, nec frangatur Hoſtia, in calicem miſceatur, ſed ſtatim poſt orationem Dominicam dicatur: *pax Domini &c.* quæ eſt publica quædam abſolutio à peccatis communicantium, Vox pane evangelica annuntians remiſſionem peccatorum, unica illa, & digniſſima ad menſam Domini præparatio, ſi fide apprehendatur, non ſecus atque ex ore Chriſti prolata. Unde vellem eam annuntiari verſo ad populum vultu, quemadmodum ſolent Epiſcopi, quod unicum eſt veſtigium Epiſcoporum priſcorum in noſtris Epiſcopis.

6. Deinde communicet tum ſe ſe; tum populum, interim cantetur *Agnus Dei*, quod ſi orationem illam: *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui ex voluntate patris &c.* ante ſumtionem orare voluerit, non male orabit, mutato ſolum numero ſingulari in pluralem, *noſtris, & nos, pro meis, & me*, item & illam: *Corpus Domini &c. cuſtodiat animam meam* vel *tuam in vitam æternam. Et Sanguis Domini noſtri &c. cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.*

7 Si commnnionem cantari libet, cantetur, ſed loco complendæ, ſeu ultimæ collectæ, quia fere ſacrificium ſonant, legatur in eodem tono oratio illa, *quod ore ſumſimus Domine*, poterit & illa legi: *Corpus tuum Domine, quod ſumſimus &c.* mutato numero in pluralem, *qui vivis, & regnas &c. Dominus vobiſcum &c.* loco *ite Miſſa* dicatur *Benedicamus Domino*, adie-

ſto, ubi, & quando placet, *Halleluja*, in ſuis melodiis, vel ex veſpertinis, *Benedicamus* mutuetur.

8. Benedictio ſolita detur. Vel accipiatur illa Numeri 6. quam ipſe Dominus digeſſit, dicens *Benedicat nos Dominus, & cuſtodiat nos, oſtendat nobis faciem ſuam, & miſereatur noſtri, convertat Dominus faciem ſuam ad nos, & det nobis pacem*. Vel illa *pſalm*: 96. *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ, amen*. Ejuſmodi credo, & Chriſtum uſum fuiſſe, cum in Cœlum aſcendens ſuos diſcipulos benedixit.

Et hic quoque liberum ſit Epiſcopo, quo ordine velit utramque ſpeciem vel ſumere, vel miniſtrare, poterit enim utrumque, nempe panem, & vinum continuo benedicere ante quam panem ſumpſerit, vel inter benedictionem panis, & vini ſtatim ſe ſe, & quot quot voluerint, pane communicare. Deinde vinum benedicere, ac demum omnibus bibendum dare, quo ritu Chriſtus uſus videtur fuiſſe, & verba Evangelii ſonant, ubi manducare juſſit panem ante quam Calicem benediceret. Deinde expreſſe dicit *ſimiliter & Calicem poſt quam cænavit*, ut poſt manducationem primum Calicem eſſe benedictum ſentias, ſed ritus hic nimis novus, non patietur ea fieri, quæ hactenus poſt benedictionem diximus, niſi, & ipſa mutentur.

Sic de Miſſa ſentimus, in quibus omnibus cavendum, ne legem ex libertate faciamus, aut peccare cogamus eos, qui vel aliter fecerint, vel quædam omiſerint, modo benedictionis verba ſinant integra, & fide hic agant; Chriſtianorum enim hi eſſe debent ritus, id eſt filiorum liberæ, qui ſponte, & ex animo iſta ſervent, mutaturi quoties, & quomodo voluerint, quare non eſt, ut neceſſariam aliquam formam velut legem in hac re quiſpiam vel peta vel ſtatuat qua conſcientias illaqueet & vexet. Unde, & in priſcis patribus, & primitiva Eccleſia nullum exemplum legimus Ritus hujus plenum niſi in Romana Eccleſia.

ſia. Sed nec ſervandum eſſet, ſi quidquam pro lege in hac re-Sanxiſſent, quod legibus hæc obſtringi nec poſſint, nec debeant;

Deinde ſi etiam diverſi diverſo ritu utantur, nullus alterum vel judicet vel contemnat, ſed unuſquiſque ſenſu ſuo abbundet, & idem ſapiamus ac ſentiamus, etiamſi diverſa faciamus & unuſcujuſque ritus alteri placeat, ne ad diverſitatem rituum diverſæ ſequantur opiniones, & ſectæ, quemadmodum ſub Romana Eccleſia contingit. Externi enim ritus, etſi iis carere non poſſumus, ſicut nec cibo, & potu; non tamen nos Deo commendant, Quare hic regnat illud Pauli. *Non eſt Regnum Dei eſca, & potus, ſed juſtitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto*, ita nec ri tus ullus eſt Regnum Dei, ſed fides intra vos &c.

Veſtes præterivimus, ſed de his, ut de aliis ritibus ſentimus. Permittamus illis uti libere, modo pompa, & luxus abſit. Neque enim magis places ſi in veſtibus benedixeris. Nec minus places, ſi ſine veſtibus benedixeris. Neque enim veſtes etiam nos Deo commendant, ſed nec eas conſecrari veſim, aut benedici, velut Sacrum aliquod futuræ ſint præ aliis veſtibus, niſi generali illa benedictione, qua per Verbum, & Orationem omnis bona creatura Dei Sanctificari docetur, alioqui mera ſuperſtitio, & impietas eſt, per abominationis Pontifices introducta, ſicut & alia.

De Communione Populi.

Hic autem ſervandus eſt Ritus, qui in Baptiſmo ſervatur, nempe, ut Epiſcopo primum ſignificetur, qui futuri ſint Communicantes, petantque ipſi Cœna Domini Communicari, ut eorum, & nomina, & vitam cognoſcere queat. Deinde petentes non admittat, niſi rationem Fidei ſuæ reddiderint, & interrogati reſponderint, an intelligant, quid ſit Cœna Domini, quid præſtet, quo uſu illa velint potiri.

Scilicet, ſi poterint verba Benedictionis memoriter recitare, & exponere ſeſe ita venire, quod conſcientia peccati,

aut timore mortis, aut alio malo tentationis Carnis, Mundi, Diaboli, vexati eſuriant, & ſitiant verbum, & ſignum gratiæ & ſalutis ab ipſo Domino per Miniſterium Epiſcopi, quo ſolentur, & confortentur, quale Chriſtus inæſtimabili charitate dederit, & inſtituerit hac cæna, cum diceret: Accipite, & comedite &c.

Arbitror autem hanc interrogationem, ſeu explorationem ſufficere, ſi ſemel in anno fiat cum eo, qui petit communicari. Quin poterit tam intelligens eſſe, qui petit, ut vel ſemel in tota vita, vel prorſus nunquam interrogetur. Nam hoc ritu illud cavere volumus, ne irruant ad Cænam Domini digni, & indigni, ſicut hactenus videmus fieri ſub Romana Eccleſia, ubi nihil quæſitum eſt aliud, quam communicari. De fide, de ſolatio, & de toto uſu, & fructu Cœnæ prorſus ne mentio quidem aut cogitatio fuit. Quin & ipſa verba benedictionis, ſcilicet, ipſum panem vitæ abſconderunt ingenti ſtudio, imo ſummo furore id agentes, ut communicantes opus operarentur bonum ſua dignitate, non autem Fidem alerent, & roborarent Chriſti bonitate. Nos autem eos, qui reſpondere non poterunt juxta prædicta, prorſus excluſos, & alienos volumus ab iſtius Cœnæ Communione tanquam veſte nuptiali carentes.

Deinde, ubi Epiſcopus viderit eos intelligere hæc omnia etiam hoc obſervabit, an vita, & moribus eam Fidem, & intelligentiam probent. Nam, & Satan hæc omnia intelligit, & loqui poteſt. Hoc eſt, ſi viderit aliquem ſcortatorem, adulterum, ebrium, luſorem, uſurarium, maledicum, aut alio crimine manifeſto infamem, prorſus ab hac cæna excludat, niſi manifeſto argumento vitæ ſeſe mutaſſe teſtatus fuerit. Nam illis qui aliquando labuntur, & redeunt, dolent qua de lapſu, Cœna iſta non ſolum negari non debet, quin propter eos ipſos maxime inſtitutam eſſe noſſe oportet, ut reficiantur, & roborentur. In multis enim offendimus omnes, & onera invicem portamus, dum, & mutuo nos oneramus. De illis enim contem-

ptori-

ptoribus loquor, qui inverecuude, & ſine timore peccant, & magnifica nihilominus de Evangelio jactant.

Deinde ubi Miſſa celebratur, convenit, ut Communicaturi ſeorſim uno loco, & una turba conſtent. Ad hoc enim repertum eſt altare, repertus eſt, & Chorus. Non quidem apud Deum aliquid ſit, hic vel hic ſtetiſſe, aut quidquam Fidei hinc accedat, ſed quod oporteat eos palam videri, & noſci tam ab iis qui communicant, quam iis, qui non Communicant, quo deinde eorum vita quoque melius videri, & probari, & prodi poſſit. Nam hujus Communio Cœnæ eſt pars confeſſionis, qua coram Deo, Angelis, & hominibus ſeſe confitentur eſſe Chriſtianos. Ideo curandum, ne velut furtim auferant Cænam, & deinde inter alios mixti ignorentur an benè, vel malè vivant. Quanquam ne hic quidem legem figere velim, ſed id ſolum monſtrare, quod honeſtum, ac decorum ſit à Chriſtianis liberis libere preſtari.

De Confeſſione vero privata ante Communionem, ſentio ſicut hactenus docui, eſſe eam ſcilicet, nec neceſſariam, nex exigendam, utilem tamen, & non contemnen dam, Quando nec ipſamCœnam Dominus neceſſario exegerit, aut lege firmaverit, ſed cuique liberam permiſerit dicens: Quotieſcumque hæc feceritis &c.

Sic de præparatione ad Cœnam hanc ſapimus, ut liberum ſit jejunio, & orationibus ſeſe componere. Sobrios certe oportet adeſſe, & ſedulos, ac diligentes, ut maxime nihil jejunes, aut parum ores. Sobrietatem vero dico, non illam ſuperſtitioſam Papiſtarum, ſed ne crapula ructues, & diſtento ventre pigreſcas. Nam optima præparatio eſt (ut dixi) anima peccatis, morte, tentationibus agitata, eſuriens, & ſitiens medelam, & robor; verum quidquid eſt harum rerum, ad Epiſcopus pertinet, ut populum doceat.

Id nunc reliquum eſt &c.

Finis

Finis Epiſtolæ.

Tantum habui optime Nicolae, quod de Noſtræ Wittembergenſis Eccleſiæ ritibus, & cæremoniis partim jam inſtitutis, ac propediem (Chriſto volente) conſummandis, ad te perſcriberem, cujus exemplar, ſi tibi, & aliis placuerit imitari, licet. Sin minus, unctioni libenter locum dabimus, parati à vobis, & à quibuſvis aliis commodiora accipere.

Nec vos, aut quoſvis alios abſterreat, quod in noſtra Wittemberga adhuc perſeverat *Topheth* illa Sacrilega, quæ Principum Saxoniæ impia, & perdita pecunia eſt, Templum dico omnium Sanctorum. Nam tantum eſt miſerente Deo apud nos antidoti per copioſum verbum Dei, ut peſtis illa in angulo ſuo languens, non niſi ſibi ipſi peſtilens ſit. Denique vix tres, aut quatuor porci, & ventres ſunt in ipſa illa perditionis domo, qui pecuniam illam colunt, cœteris omnibus ſimul, & univerſo populo inſignis nauſea, & abhominatio eſt, neque licet vi, aut imperio in eos graſſari, ut noſti, decere Chriſtianos, non niſi virtute gladii ſpiritus pugnare, ſicenim & infreno populum quotidie, alioqui jam dudum domus illa omnium Sanctorum, imo domus omnium Diabulorum alio nomine ferretur in Orbe.

Sed nec poteſtatem Spiritus, quam dedit nobis Deus, in illam exeram, ferens longanimiter opprobrium iſtud, ſi forte det illis Deus pænitentiam. Contentus interim, quod noſtra domus, quæ verius eſt omnium Sanctorum domus, hic regnat & ſtat, velut turris Libani contra domum omnium Diabolorum. Sic Satanam torquemus verbo, quamvis ille riſum ſimulet. Sed dabit Chriſtus, ut ſpes ſua fallat eum, & cunctis videntibus præcipitetur.

Ora pro me vir Sancte Dei, Gratia tecum, & cum omnibus veſtris, Amen. 1523.

CAPUT II.

LITURGIA A' ZUINGLIO PRÆSCRIPTA REFERTUR.

HUldricus Zuvinglius, natus in Helvetia, in Comitatu Toggenburgico ann. Dom. 1487. per decem annos Eccleſiæ Claronæ, qui celebris eſt Helvetici ſœderis pagus, præfuit uſque ad annum 1516. Ann. 1519. Tigurum ad Paſtoralem Eccleſiæ curam ſuſcipiendam vocatus, cum multos ibi privatis colloquiis pervertiſſet, contra indulgentias, & Romani Pontificis primatum prædicare cœpit alioſque errores contra fidem Catholicam Tigurinis afflavit. Anno 1525. abrogationem Miſſæ & Euchariſtiæ adorationis, urgere cœpit, quod die 12. Aprilis obtinuit à Senatu Tigurino; atque novum Sacramentariæ Cœnæ Ritum inſtituit. Formulam autem deſcribimus ex Hiſtoria Sacramentaria Rodolphi Hoſpiniani part. 2. pag. 40.

LITURGIA A' ZUINGLIO IN ECCLESIA TIGURINA IN COENAE DOMINICÆ CELEBRATIONE INSTITUTA.

FInita concione, menſa in Templo munda mappa inſternitur. Huic imponitur caniſtrum Pane infermentato plenum, catini, & pocula lignea quæ vino implentur. Accedit ad menſam Paſtor Eccleſiæ cum Diaconis, & totum Cœtum ad attentionem excitat: mox alter ex Diaconis ſubiicit inſtitutionem Cœnæ Domini ex Epiſtola ad Chorintios: alter vero recitat partem capitis ſexti Joannis, ut ex verbis Domini omnes diſcant quando Chriſti carnem edamus vere, & Sanguinem ejus vere bibamus. Mox recitato Simbolo fidei, paſtor admonet, ut quiſque ſe ipſum examinet, & exploret, ne indigne acce-

accedendo, Corporis, & Sanguinis Domini reus fiat: poſtea omnes ſe in genua demittunt & paſtore præeunte orationem Dominicam dicunt. Qua abſoluta, Paſtor panem infermentatum in manus accipit, & ſpectante fidelium cœtu, alta voce magnaque religione inſtitutionem Cœnæ Dominicæ ex Evangeliſtis recitat: deinde panem miniſtris diſtribuit, & poculum porrigit: Qui panem in catinis, & vinum in ciathis circumferunt, & Eccleſiæ exhibent. Quiſque in manus ſumit, quod traditur à miniſtris; edit, & proxime aſſidenti offert partem ejus, quod accepit: ſimiliter etiam poculum porrigit: interim vero dum de Pane Domini edunt & de poculo ejus bibunt, unus ex Eccleſiæ Miniſtris prælegit ex Evangelio Johannis dulciſſima illa Domini colloquia, quæ abiturus cum diſcipulis habuit, à pedum ablutione initium faciens &c. Si catini & pocula ad menſam redeunt, Eccleſia iterum in genua procumbit & Deo pro beneficio Redemptionis Chriſti gratias agit. In Eccleſiis autem agri Tigurini, Miniſter omnia ſolus recitat, & ad menſam ſinguli accedunt. Hunc ritum multæ Eccleſiæ in Helvetia, & Rhetia, poſtea imitatæ ſunt,

CAPUT III.

Liturgia Eccleſiæ Genevenſis.

JOhannes Calvinus Novioduni Veromanduorum, aut certe proximorum Veromanduis finium, oppido celebri anno à Domini nativitate 1509. natus eſt. Ann. 1545. Catechiſmum Eccleſiæ Genevenſis, hoc eſt formulam Erudiendi pueros in doctrina Chriſti probavit. Quoniam autem Eccleſiæ Catholicæ Doctrinam, atque Sacroſancti Euchariſtici Sacrificii Ritualem diſciplinam impius, & blaſphemus homo damnaverat, ac reprobaverat, hinc novam formulam precum Eccleſiaſticarum, atque novam Rationem celebrandæ Cœnæ Dominicæ in

uſum ejuſdem Genevenſis Eccleſiæ conſcriptas ratas habuit, & recognitas edidit, uti videre eſt in volumine Tractatuum ipſius Theologicorum Anſtelodami edit: ann 1667. ex quujus voluminis pag. 29. formulas fideliter heic pro inſtituta nobis ratione tranſcribimus.

PRECUM ECCLESIASTICARUM FORMULA

Diebus quidem Profeſtis Miniſter populum ad precandum, quibus ei viſum fuerit verbis adhortatur: ſuam nimirum exhortationem ad Tempus, & ad argumentum Concionis, quam habiturus eſt, accomodans: ac Dominico die mane hæc ut plurimum adhibetur formula.

ADjutorium noſtrum ſit in nomine Domini, qui fecit Cœlum & Terram, Amen. Fratres unuſquiſque noſtrum ſe Domino ſiſtat, ſuaque peccata confiteatur: ac me his verbis præeuntem, mente ſubſequatur.

Domine Deus Pater Æterne, & omnipotens agnoſcimus, & ingenue profitemur apud S. Majeſtatem tuam, nos miſeros peccatores eſſe, conceptos, & natos in iniquitate, & pravitate: ad nequitiam proclives, ad omne autem opus bonum inutiles: noſque ut vitioſi ſumus nullum tranſgrediendi Sancta tua mandata finem facere. Quo fit, ut exitium à juſto judicio tuo nobis accerſamus. Attamen Domine anxie gemimus, quod te offenderimus, ac nos vitiaqne noſtra damnamus, cum vera pænitentia, optantes, ut gratia tua noſtræ ſuccurrat miſeriæ. Tua igitur nos miſericordia dignare Deus & Pater Clementiſſime, ac ſumme miſericors, in nomine Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri; & vitia noſtra delens, omneſque ſordes noſtras abluens in dies dona Sancti tui Spiritus nobis adauge: ut corde intimo iniquitatem noſtram agnoſcentes, magis nobis diſpliceamus, atque ita ad veram pætinentiam ſtimulemur:

hæc autem nos cum omnibus peccatis mortificans, fructus juſtitiæ, & innocentiae tibi gratos producat: per illum ipſum Jeſum Chriſtum, Dominum Noſtrum.

His finitis canitur a toto cœtu pſalmus aliquis: deinde Miniſter ad preces revertitur, quibus à Domino gratiam Sancti ſui Spiritus petit, ut Verbum ejus fideliter ad nominis ipſius gloriam, & ad Eccleſiæ ædificationem exponatur & quali decet ſubmiſſione animi obedientiaque excipiatur. Præcationis autem formulam ad id aptam Miniſter ſibi pro arbitrio deligit. Abſoluta concione is populum ad orandum hortatus, ita incipit.

DEUS omnipotens, Pater Cœleſtis, te exauditurum preces, quas tibi in nomine dilecti Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri funderemus, nobis pollicitus es; & cum ab illo, tum ab ejus apoſtolis, unum in locum nobis in ejus nomine conveniendum eſſe edocti ſumus: addita etiam promiſſione, fore eum nobis præſentem, ut apud te pro nobis intercedat, impetretque omnia, quæ unamini conſenſu à te petierimus ſuper terram.

Primo, pro iis, quos nobis dominatores, et Gubernatores præfeciſti, præcari nos jubes: deinde vero pro omnibus quæ populo tuo, atque adeo cunctis mortalibus neceſſaria ſunt ſupplices ad te accedere. Tuis igitur Sacroſanctis præceptis, promiſſionibuſque freti, quandoquidem in conſpectum tuum prodimus, in nomine Filii tui Domini noſtri Jeſu Congregati, ſupplices, et ex animo rogamus, Deus, et Pater Optime, in nomine ejuſdem, qui Servator noſter, et mediator unicus eſt, ut (quæ tua eſt immenſa clementia) nobis peccata noſtra condonare, atque ita cogitationes noſtras ad te attrahere digneris: ut ex intimis cordis penetralibus invocare te poſſimus, ea in re vota noſtra ad obſequium tuæ voluntatis formantes, quæ ſola rationi conſentanea eſt.

Tibi igitur preces fundimus, Pater Cæleſtis, pro omnibus

bus Principibus, et magiſtratibus, quorum miniſterio ad nos gubernandos uteris. Potiſſimum vero pro hujus urbis Præfectis: ut Spiritum tuum, qui ſolus bonus eſt, et verè principalis, impertiri illis, atque in dies augere digneris: adeo ut Jeſum Chriſtum, Filium tuum, Dominum noſtrum, Dominatorem Dominatorum, Regemque Regum eſſe, certo perſuaſum habentes, quemadmodum tu illum omni poteſtate in Cœlo, et in Terra donaviſti, ita, et ipſi in ſuo principatu cultum illius, & regni ejus amplificationem ſibi ante omnia proponant, ſuos ſubditos (qui ſunt manuum tuarum opificia, & paſcuorum tuorum oves) pro tuo arbitrio gubernantes: ut & hic, & in alia qualibet orbis terrarum parte, pace ſtabili fruentes, te cum omni ſanctimonia, & puritate colamus: metuque hoſtium noſtrorum liberati, materiam celebrandæ tuæ laudis toto vitæ noſtræ tempore habeamus.

Deinde precibus noſtris tibi commendamus, Pater verax, & ſervator, omnes quotquot fidelibus tuis paſtores conſtituiſti, quorum etiam tutelæ Animas commiſiſti: quos denique Sacroſancti tui Evangelii diſpenſatores eſſe voluiſti: ut eos ſancto tuo Spiritu regas, quo probi fideleſque gloriæ tuæ miniſtri comperiantur: huc ſtudium omne conferentes, conatuſque ſuos dirigentes, ut omnes miſeræ oves, quæ adhuc ſunt errabundæ, recolligantur, & ad Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, præcipuum Paſtorem, & epiſcoporum Principem, reducantur: ut in dies majus juſtitiæ, & Sanctimoniæ incrementum in eo accipiant. Interea autem omnes ſuas Eccleſias è faucibus rapacium luporum eripere, & ab omnibus mercenariis liberare digneris, qui gloriæ tantum aut lucri cupiditate ducuntur, de tui nominis illuſtratione, tuique Gregis ſalute nihil plane ſolliciti.

Inſuper tibi preces noſtras offerimus, Deus Clementiſſime, & Pater ſumme Miſericors, pro omnibus in univerſum hominibus: ut quemadmodum totius humani generis agnoſci vis

ſervator, per redemptionem à Jeſu Chriſto Filio tuo præſtitam, ita ii, qui adhuc ab illius notitia ſunt alieni, tenebriſque immerſi, & ab erroribus ac ignorantia tenentur captivi, affulgente illis ſancto tuo Spiritu tuoque Evangelio auribus illorum inſonante ad rectam ſalutis reducantur viam: quæ in eo ſita eſt ut agnoſcamus te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Rogamus & uti ii, quos jam gratiæ tuæ favore dignatus es, quorumque mentibus per cognitionem verbi tui illuxiſti, quotidie in melius proficiant, ſpiritualibus tuis benedictionibus ditati: ut ſimul omnes uno & corde, & ore te adoremus, Chriſtumque tuum Dominum noſtrum, Regem, & legis latorem, honore debito proſequamur, ac juſto obſequio colamus.

Præterea etiam, ò Deus omnis conſolationis auctor, commendamus tibi quoſcumque variis modis caſtigas populos: qui peſte, vel fame, vel bello afflicti laborant: ſingulos etiam homines, qui paupertate, vel carcere, vel morbo, exiliove, aut alia ulla corporis, ſive animi ærumna premuntur: ut prudenter reputantes finem tibi eſſe propoſitum eos tuis ferulis in viam revocandi, imbuti hoc paterni tui amoris ſenſu ſincero cordis affectu reſipiſcant, ut toto animo ad te convertantur, & converſi plenam conſolationem reportent, omnibuſque malis liberentur.

Majorem autem in modum tibi commendamus miſeros fratres noſtros, quotquot ſub Antichriſti tyrannide diſperſi vivunt, cibo vitæ ſpiritualis deſtituti, & libertate palam invocandi nominis tui privati: atque adeo qui aut in carcerem conjecti ſunt, aut alio quopiam modo ab hoſtibus Evangelii tui oppreſſi, ut eos, ò indulgentiſſime Pater, Spiritus tui robore fulcire digneris, ita ut nunquam animum deſpondeant, ſed conſtanter in ſancta tua vocatione permaneant: ut manum illis porrigere, prout id illis conducere noſti, conſolari etiam adverſis in rebus, & in tuam tutelam receptos à luporum rabie defen-

defendere: omnibus denique Spiritus tui donis cumulare velis: quo eorum vita pariter, & mors ad gloriam tuam ſpectent.

Poſtremo, ò Deus, & Pater, à nobis qui hic in nomine Filii tui Jeſu, verbiſque ejus (& ſanctæ ejus Coenæ) (1) gratia congregati ſumus, ſine te hoc exorari: ut vere nobis conſcii perditæ noſtræ originis, ſimul etiam reputemus quantam damnationem mereamur: & quanto cumulo in dies nobis impura, & ſceleſta vita eam augeamus: ut quam nos boni omnis vacuos eſſe, carnemque noſtram, & ſanguinem plane à cernenda regni tui hæreditate abhorrere cognoverimus ex intimo cordis ſenſu firmaque fiducia dilecto Filio tuo Jeſu Chriſto Domino noſtro & Servatori ac Redemptori unico, nos dedamus: ut in nobis ipſe habitans veterem illum noſtrum Adamum extinguat, ac in meliorem vitam renovet, & inſtauret: per quem nomen tuum, (2) prout ſanctitate pollet omni in regione, omnique in loco laudibus extollatur, & gloriam ſibi debitam conſequatur. Simul etiam ut jus Imperiumque in nos obtineas: ut que in dies magis ac magis tuæ majeſtati nos ſubmittere diſcamus: ita ut ubique locorum regnans (3) domineris, populum tuo ſceptro verbi tui ſpirituſque tui potentia gubernans, tuorum autem hoſtium conatus veritatis, & Juſtitiæ tuæ robore peſſundans. Atque ita Fiat ut omnis potentia, & celſitudo ſe gloriæ tuæ opponens, in dies deſtruatur atque aboleatur: donec Regnum tuum ſuis omnibus numeris compleatur, ejuſque perfectio penitus ſtabiliatur: quum videlicet judex in perſona Filii tui comparebis. Ut nos una cum omnibus creaturis veram plenamque obedientiam tibi præſtemus: (4) ſicut Cæleſtes Angeli tui exſequendis mandatis tuis toti ſunt addicti. Atque ita voluntas tua nemine repugnante obtineat, omne-

(1) *His incluſa notulis dicuntur dumtaxat die celebrationis Cœnæ.*
(2) *Sanctiſicetur nomem tuum.* (3) *Adveniat Regnum tuum.*
(4) *Fiat voluntas tua.*

omneſque tibi obſequi teque colere ſtudeant, propriæ voluntati, omnibuſque carnis ſuæ cupiditatibus renunciantes. Ut nos amorem timoremque tui in omnibus vitæ noſtræ actionibus retinentes pro benignitate tua alas, ac nobis quæcumque ad veſcendum quietè & tranquillè pane noſtro (1) neceſſaria ſunt, ſufficias: quo te noſtri curam gerere videntes, melius Patrem noſtrum agnoſcamus, omniaque bona è manu tua expectemus, nihil amplius ſpei, & fiduciæ in ulla creatura, ſed totam in tua bonitate collocantes. Jam vero quoniam in hac mortali vita miſeri peccatores ſumus, tanta imbecillitate laborantes ut aſſidue diffluamus, & à recta via declinemus, (2) peccata noſtra nobis condonare digneris, quorum rei apud tuum judicium ſumus: & per hanc condonationem nexu mortis æternæ, quoque obſtricti ſumus, liberemur. Ne igitur eam, qua præditi ſumus, nequitiam nobis imputes; quemadmodum ipſi, mandato tuo parentes, injuriarum, quæ nobis inferuntur obliviſcimur, ac tantum abeſt, ut de ulciſcendis hoſtibus cogitemus, ut etiam commoda eorum procuremus. In poſterum denique nos tua potentia fulcire (3) digneris ne (quæ eſt carnis noſtræ infirmitas) excidamus. Ac, quum tamſint imbecillæ vires noſtræ ut ne ad momentum quidem temporis conſiſtere poſſimus, præterea etiam quum aſſidue tot hoſtes nos circundent, & adoriantur, quum Diabolus, Mundus, peccatum, caro noſtra nullum faciant nos oppugnandi finem, ſancto tuo Spiritu nos corrobora tuæque gratiæ donis arma, ut conſtanter omnibus tentationibus reſiſtere, & hoc ſpirituale prælium ſuſtinere poſſimus: donec plena victoria potiti, tandem aliquando in tuo regno cum Imperatore, & Protectore noſtro Jeſu Chriſto, Domino noſtro, triumphemus. Amen.

Poſt

(1) *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*
(2) *Remitte nobis peccata noſtra.*
(3) *Ne inducas nos in tentationem.*

Poſt hæc recitatur Apoſtolorum Symbolum.
Quo autem die celebratur Cœna, hæc precedentibus adduntur.

AC quemadmodum Dominus noſter Jeſus non contentus tibi ſemel Corpus ſuum, & Sanguinem in Cruce obtuliſſe pro remiſſione peccatorum noſtrorum, nobis quoque in alimentum vitæ æternæ deſtinavit: ita hoc nobis pro tua beneficentia largire, ut vera cordis ſinceritate & ardenti deſiderio tantum beneficium ab eo accipiamus: nimirum ut certa fide præditi corpore pariter, & ſanguine ejus, vel potius eo toto fruamur: ſicut ipſe, quum verus ſit homo, & Deus, verè eſt ſanctus panis Cœleſtis ad nos vivificandos: ut non amplius in nobis ipſis, & ad noſtrum ingenium, quod omnino depravatum eſt, vivamus, ſed ipſe in nobis vivat, ut ad ſanctam vitam, beatam & in æternum permanentem nos deducat, atque ita novi, & æterni Teſtamenti verè participes fiamus, nimirum fœderis gratiæ: hoc perſuaſiſſimum habentes, te velle nobis in perpetuum Patrem propitium eſſe, delicta noſtra nobis non imputando, ac tanquam charis filiis, & hæredibus, omnia tam animæ quam corpori neceſſaria ſuppeditare: ut te ſine fine laudibus, & gratiarum actione proſequamur: tuumque nomen tum dictis tum factis illuſtre reddamus. Effice igitur hodie nos hoc modo, Pater Cæleſtis, celebrandæ Juſtæ Filii tui memoriæ compotes: da etiam ut nos in ea exerceamus, ac mortis ejus beneficium prædicemus, quo novum incrementum, ac robur tam ad fidem, quam ad aliud quod libet bonum accipientes, eo majore fiducia nos tuos eſſe filios profiteamur, & in te Patre gloriemur.

Pera-

Peracta autem Cœna hæc gratiarum actio, vel aliqua ei ſimilis adhibeatur.

LAudum, & gratiarum actione immortali te proſequimur, Pater Cæleſtis, pro tanto, quod in nos miſeros peccatores contuliſti beneficio, dum ad participationem Fili tui Jeſu Chriſti nos adduxiſti, quem pro nobis morti paſſus es tradi, & nunc in vitæ æternæ alimentum impertiris. Jam vero tuam in nos proſequens beneficentiam; ne unquam hæc à nobis oblivioni dari permittas, ſed fac potius ut ea cordibus inſculpta gerentes proficiamus, & creſcamus in fide, quæ ad omne opus bonum ſit efficax. Unde etiam fiat, ut reliquum vitæ noſtræ propagationi gloriæ tuæ & ædificationi proximorum dedicemus: per illum ipſum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui in unitate Sancti Spiritus vivit tecum, & regnat in æternum Amen.

Benedictio quam miniſter Populo diſceſſuro precatur ſecundum Divinæ legis præceptum.

BEnedicat vobis Dominus, voſque ſervet incolumes. Dominus vos ſplendore vultus ſui illuſtret, vobiſque ſit propitius. Convertat Dominus faciem ſuam ad vos, & omnia proſpera vobis largiatur.

„ Quum doceant nos ſcripturæ peſtes bella, & alias hu-
„ juſmodi calamitates eſſe Dei caſtigationes, quibus in pec-
„ cata noſtra animadvertit: quum eas irruere videamus, Dei
„ adverſum nos iram agnoſcere debemus: ac tunc, ſi vere
„ fideles ſumus, peccatorum noſtrorum recordari nos opor-
„ tet, ut noſtri noſmet pudeat, ac pigeat & ad Dominum re-
„ ſipiſcentia non ficta, vitaque in melius mutata converſi, ſub-
„ miſſo animo, ac ſuppliciter veniam abeo petamus. Ideo ſi

„ quan-

„ quando Deum minari nobis videmus, ne patientiam ejus
„ tentemus, ſed potius ejus judicium antevertamus (quod
„ alioqui tum imminere videmus) ſingulis hebdomadibus
„ diem aliquem ſtatum eſſe convenit, in quo peculiariter de
„ his populus admoneatur, Deoque precetur, & ſupplicet,
„ prout tempus poſcet. Sequitur itaque precum ad id apta-
„ ram formula.

„ In principio concionis adhibetur à miniſtro illa confeſ-
„ ſio generalis diebus Dominicis uſurpari ſolita quæ antea per-
„ ſcripta fuit. In fine autem Concionis, poſtquam commo-
„ nefecit populum, Deum nunc in homines, ob ſcelera, quæ
„ per totnm orbem graſſantur, & propter nequitiam ad quam
„ paſſim omnes ſunt projecti, ſuam vindictam exercere: poſt-
„ poſtquam item ad ſe convertendum, & ad vitam in melius
„ mutandum, ſimul verò ad orandum Deum pro impetran-
„ da venia, hortatus eſt, utitur ea quæ ſequitur formula. „

Deus Omnipotens, Pater Cœleſtis, agnoſcimus, & ingenue profitemur, quod & verum eſt, indignos eſſe nos, qui in Cœlum oculos attollamus, ut corum te nos ſiſtamus: nec tantum debere nobis arrogare. ut exauditum à te iri preces noſtras ſperemus, ſi eorum, quæ tibi offerimus, rationem habeas & proprii ſenim accuſamur conſcientiis, noſtraque peccata adverſum nos teſtimonium ferunt: te verò juſtum eſſe Judicem novimus, qui peccatores, & nequam homines non juſtifices ſed in eos animadvertas, qui tua mandata violaverint. Hinc ſit Domine ut dum totius vitæ noſtræ ſtatum reputamus, noſtri noſmet pudeat, nec aliud quam animum deſpondere poſſimus, perinde acſi jam in Abiſſum Mortis demergeremur. Vetùm tamen Domine quum pro tua immenſa miſericordia dignatus ſis nobis imperare, ut te invocemus, idque vel ex intimis inferis: & quo magis viribus deſtitui nos videmus, tanto magis ad tuam ſummam bonitatem confuggiamus: quum præterea pollicitus ſis nobis te precibus noſtris fore exorabilem, in nomine

Domini noſtri Jeſu Chriſti, (quem nobis advocatum, & interceſſorem conſtituiſti) ejuſque merito, non autem ſpectantem quid meriti ſimus: ecce omni humanæ fiduciæ renunciantes, tuaque ſola bonitate freti, in conſpectum tuum prodire, tuumque ſanctum nomen ad obtinendam miſericordiam invocare non dubitamus.

Primum, Domine, præter infinita beneficia, quæ aſſiduè in reliquos quoſque homines quotquot terra ſuſtinet confers, peculiariter etiam nobis tot gratiæ tuæ dona impertiviſti, ut ea recenſere nequeamus, imo verò nè mente quidem ſatis complecti poſſimus. Hoc verò ſingulare, quod ad notitiam ſancti tui Evangelii vocare nos dignatus ſis, miſerabile quo nos diabolus premebat ſervitutis jugum excutiens, & ab exſecranda idololatria, vaniſque ſuperſtitionibus, quibus immerſi eramus, liberatos ad lumen veritatis tuæ adduxeris. Nihilominus tamen (quæ noſtra eſt ingratitudo) obliti bonorum quæ manus tua nobis largita eſt, à recta via declinavimus, & te relicto, carnis noſtræ concupiſcentias ſequuti ſumus. Quin etiam ſanctum tuum verbum debita reverentia, atque obedientia fraudavimus, nec tuum nomen quibus decebat præconiis proſequuti ſumus. Et quamvis aſſidue fidelibus verbi tui admonitionibus aures noſtræ perſonuerint, eas tamen neglegimus. Peccavimus itaque, Domine, teque offendimus, ideoque pudore ſuffundimur, nos gravium ſcelerum apud tuum Judicium reos eſſe agnoſcentes: adeo ut ſi dignas nobis pænas inffligere velis, aliud quam mortem, & damnationem expectare nequeamus. Nam ſi nos excuſare velimus, at noſtræ ipſorum conſcientiæ nos accuſant, noſtraque nequitia tuis oculis ad nos condemnandos patet. Ac profecto re ipſa, Domine ex caſtigationibus, quas jam nobis immiſiſti, te juſtiſſimis de cauſis adverſum nos excanduiſſe cognoſcimus. Quum enim æquus ſis Judex, tuos nos immerentes affligis. tuis igitur verberibus cæſi, tuam adverſus nos ipſos iram provocaſſe agno-

ſcimus

ſcimus. Sed & nunc manum tuam ad nos puniendos extentam videmus. Gladii enim, quibus ad exigendam ultionem uti ſoles, ſtricti nunc ſunt: & ea quæ peccatoribus, ſceleratiſque hominibus minitari conſueviſti, parata eſſe cernimus.

Quamvis autem multo etiam graviores quam antea de nobis pænas ſumeres, atque adeo plagas centuplo plures infligeres, & modo non horrendæ illæ clades, quibus olim peccata populi tui Iſraelitici caſtigaſti, nobis ingruerent, nos illis dignos eſſe, ac ſceleribus noſtris promeruiſſe confitemur. Sed enim, Domine tu pater es noſter, nos aliud nihil, quam terra, & lutum: tu Creator es noſter, nos tuarum manuum opera: tu nobis paſtor es, nos tibi ovile ſumus: tu noſter es Redemptor, nos populus abs te redemptus: Noſter es Deus nos hæreditas tua. Ideo, ne ita iraſcaris nobis, ut in furore tuo nos caſtiges: ne recorderis nequitiæ noſtræ ad eam puniendam, ſed pro tua clementia nos leniter caſtiga. Accenſa quidem eſt adverſus nos ira tua, propter peccata quæ commiſimus: ſed nomen tuum invocari ſuper nos, tuamque nos teſſeram geſtare memineris. Conſerva potius opus quod gratia tua in nobis inchoaſti, ut te noſtrum eſſe Deum, & Servatorem totus orbis agnoſcat. Hoc certe noſti mortuos qui apud inferos ſunt, & quos perdideris, ac funditus profligaveris, te nequaquam eſſe laudaturos, ſed triſtes & omni conſolatione deſtitutas animas,corda contrita, conſcientias ſenſu culpæ ſuæ oppreſſas, tuæque gratiæ favorem ſitientes, gloria, & honore te affecturas. Tuus Iſraeliticus populus flagitiis tuam ſæpe iram provocavit, tuque eum juſto tuo judicio afflixiſti: verum quoties ad te converſus eſt, ſemper illi ad tuam clementiam aditus patuit. Et quamvis gravia eſſent ejus ſcelera, tamen propter fœdus, quod cum ſervis tuis Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, inieras, flagella tua, & clades, quæ illi imminebant avertiſti: adeo ut nunquam preces eorum repulſam apud te paſſæ ſint. Atqui nos preſtantiore fœdere dignatus es, quo apud te niti

 poſſu-

poſſumus: eo nimirum, quod pepigiſti in Jeſu Chriſti Servatoris noſtri dextera, quodque ſanguine ejus ſcribi, & ejusdem morte obſignari voluiſti. Quapropter, Domine, nobis ipſis renunciantes, omnique alia ſpe valere juſſa, ad fauſtum hoc fœdus confugimus, quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus, corpus ſuum tibi in Sacrificium offerens; nos tibi reconciliavit. Intuere igitur Domine in Chriſti tui faciem, non in noſtrum, ut ejus interceſſione ira tua placetur, facieſque tuā ſuper nos ad gaudium, & ſalutem refulgeat. ac nos poſt hac tuo Spiritu Sancto regendos, & gubernandos ſuſcipias, qui nos in meliorem vitam regeneret per quam „ Nomen tuum ſanctificetur, „ veniat Regnum tuum: fiat voluntas tua, quemadmodum „ in Cœlo, ſic etiam in Terra. Panem noſtrum quotidianum „ da nobis hodie & remitte nobis peccata noſtra, etenim ipſi „ remittimus omnibus qui debent nobis. Et ne nos inducas „ in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt Re„ gnum, & potentia, & gloria in Sæcula, Amen. „

Quamvis autem indigni ſimus, qui pronobismetipſis os aperiamus, & te in Rebus adverſis invocemus, quum tamen mandaveris ut alii pro aliis precaremur, nos pro omnibus fratribus ejuſdem corporis membris, quos nunc tuis flagellis caſtigas, preces tibi fundimus, & ut iram tuam ab illis avertas obſecramus, nominatim verò pro N. & N. Memineris Domine, eos quoque filios tuos eſſe, ſicut, & nos: atque ideo quamvis te offenderint, ne tamen bonitatis tuæ & miſericordiæ erga eos curſum interrumpas, quam perpetuam erga tuos omnes fideles fore promiſiſti. Tuas igitur omnes Eccleſias oculo tuæ clementiæ intueri digneris, omneſque populos, quos nunc aut peſte, aut bello, aut alio flagelli genere cœdis, & ſingulos homines qui verbere tua ſentiunt qui videlicet carcere conſtricti ſunt, morbove, aut pauperia affli&ctantur: conſolationemque omnibus, prout illis opus ea eſſe cognoſcis, afferens, & caſtigationes tuas ad vitæ emendationem illis utiles

red-

eddens, patientia eos inſtruere, ſeveritatique tuæ moderari, ac tandem eos liberando, plenam illis materiam exultandi in tua bonitate, ſanctumque nomen tuum benedicendi præbere digneris. Præcipuè verò in eos, qui pro tua veritate decertant, oculos convertere digneris, & publice, & privatim, ut invicta eos conſtantia robores, tuteris eos, & ubique opituleris, omnes hoſtium illorum, tuorumque technas, & machinas irritas reddens, furorem eorum refrenans, omnes eorum conatus ignominiæ damnans. Neque Chriſtianiſmum omnino deploratum eſſe permittas, ne memoriam nominis tui in terris penitus aboleri ſinas: ne eos ſuper quos nomen tuum iuvocari permiſiſti, luctuoſo interitu obrui patiaris. Ne Turcae Ethnici, Barbari Papiſtæ, aliique infideles nomini tuo cum blaſphemiis inſultent.

Tibi igitur Preces fundimus, Pater Cœleſtis, pro omnibus principibus, & magiſtratibus, quorum miniſterio, ad nos gubernandos uteris. Potiſſimum verò pro hujus Urbis Præfectis: ut ſpiritum tuum, qui ſolus bonus eſt, & vere principalis, impertiri illis, atque in dies augere digneris: adeo ut Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, dominatorem Dominatorum, Regemque Regum eſſe certo perſuaſum habentes, quemadmodum tu illum omni poteſtate in Cœlo & in Terra donaviſti, ita & ipſi in ſuo principatu cultum illius, & regni ejus amplificationem ſibi ante omnia proponant, ſuos ſubditos (qui ſunt manuum tuam opificia, & Paſcuorum tuorum Oves) pro tuo arbitrio gubernantes: ut & hic, & in alia quavis orbis terrarum parte, paci ſtabili fruentes, te cum omni ſanctimonia, & puritate colamus: metuque hoſtium noſtrorum liberati, materiam celebrandæ tuæ laudis toto vitæ noſtræ tempore habeamus.

Deinde precibus nobis tibi commendamus, Pater verax, & Servator, omnes quotquot fidelibus tuis Paſtores conſtituiſti, quorùm etiam tutelæ animas commiſiſti: quos denique

Sacro-

Sacroſancti tui Evangelii diſpenſatores eſſe voluiſti: ut eos ſancto tuo Spiritu regas, quo probi fideleſque gloriæ tuæ miniſtri comperiantur: huc ſtudium omne conferentes conatuſque ſuos dirigentes, ut omnes miſeræ oves, quæ adhuc ſunt errabundæ, recolligantur, & ad Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum præcipuum Paſtorem & epiſcoporum Principem, reducantur: ut in dies majus juſtitiæ, & ſanctimoniæ incrementum in eo accipiant. Interea autem omnes tuas Eccleſias è faucibus rapacium luporum eripere, & ab omnibus mercenariis illiberare digneris, qui gloriæ tantum: aut lucri cupiditate ducuntur, de tui nominis illuſtratione, tuique gregis ſalute nihil planè ſolliciti.

Inſuper tibi preces noſtras offerimus, Deus Clementiſſime & Pater ſumme Miſericors pro omnibus in univerſum hominibus, ut quemadmodum totius humani generis agnoſci vis Servator per Redemptionem à Jeſu Chriſto filio tuo præſtitam, ita ii, qui adhuc ab illius notitia ſunt alieni, tenebriſque immerſi, & ab erroribus, ac ignorantia tenentur captivi affulgente illis ſancto tuo Spiritu, tuoque Evangelio auribus illorum inſonante ad rectam ſalutis reducantur viam: quæ ineo ſita eſt ut agnoſcamus te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Rogamus & ut illi, quos jam gratiæ tuæ favore dignatus es, quorumque mentibus per cognitionem verbi tui illuxiſti quotidie in melius proficiant ſpiritualibus tuis benedictionibus ditati: ut ſimul omnes uno, & corde, & ore te adoremus, Chriſtumque tuum Dominum noſtrum, Regem, & Legis latorem honore debito proſequamur, ac juſto obſequio colamus.

FOR-

FORMULA SACRAMENTORUM ADMINISTRANTORUM IN USU ECCLESIÆ GENUENSIS CONSCRIPTA &c.

Ratio Celebrandæ Cœnæ Dominicæ.

„ PRincipio illud ſcire oportet, die Dominico qui proximè ei diei antecedit quo cœna celebranda eſt, prius hoc denunciari populo, primum, ut ſe quiſque ad eam digne recipiendam comparet, eaque reverentia, quam ratio poſtulat tum ne pueri eo adducantur, niſi qui commode inſtituti, fidemque ſuam in Eccleſia profeſſi ſint. Tertio, ut ſi forte ad venæ quidam, & peregrini in Urbe ſint nondum Religionis diſciplinæque noſtræ inſtitutis imbuti, ii, ſi communicare S: Cœnæ velint, Miniſtros adeant, à quibus in privatis ædibus erudiantur. Quo die celebranda eſt, Miniſter ad finem concionis de ea commemorat: aut ſi res poſtulare videatur, ſermonem omnem in ea tractanda explicandaquè conſumit: ut populum doceat quid hoc myſterio Dominus deſignet ac ſignificet, & qua Ratione illud ſit recipiendum. Abſoluta precatione confeſſioneque fidei, ut multitudinis totius nomine Concionator teſtetur, velle omnes in doctrina vivere ac mori, clara, & magna voce hæc pronunciat. „

Audite qua ratione Jeſus Chriſtus ſacroſanctam ſuam Cœnam inſtituerit: ſicuti Paulus memoriæ tradidit capite undecimo prioris ad Corintios Epiſtolæ: Accepi, inquit, à Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus Jeſus in ea nocte qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquam gratias egiſſet, fregit, ac dixit: Accipite, edite: hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum, & poculum peracta Cœna, dicens: Hoc pocu-

poculum novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcunque biberitis in mei commemorationem. Quotieſcunque enim comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuciabitis, donec venerit. Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indigne reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Probet autem quiſque ſeipſum, & ſic de pane illo edat, & de poculo bibat: nam qui edit aut qui bibit indigne, judicium ſibipſi edit, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.

Audivimus, fratres quemadmodum Dominus Cœnam ſuam unà cum diſcipulis ſuis fecerit, ex quo quidem illud intelligi voluit, extraneos eoſque qui in ſuorum numerum recepti non ſunt minime eſſe admittendos.

Quamobrem hanc ego regulam, & præſcriptionem ſequutus, in nomine atque auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, hinc ego arceo ac repello; atque hoc ſacroſancto myſterio interdico omnibus idolorum cultoribus, impiè & contumelioſe de Deo loquentibus, impiis, & ſceleratis hominibus, numenque contemnentibus, hæreticis, iiſque omnibus qui ſectas hæreſeſque amplectuntur, quo vinculum, & communionem Eccleſiæ perfringant, perjuros, contumaces in utrumque parentem, ac ſuperiores; ſeditioſos, factioſos ſicarios, concitos ad rixam, adulteros, ſtupris, furtis, rapinæ, avaritatæ, vino gulæ ventrique deditos, quicunque vitæ rationem ſequuntur flagitioſam, & offenſiones ac ſcandala parientem, iiſque palam denuncio, ut ab hoc ſacroſancto convivio abſtineant, ne ſanctiſſimas epulas, quas Dominus ſolis ſuis domeſticis, & fidelibus paravit, fœde polluant atque contaminent.

Itaque Pauli conſilio, atque cohortationi parens ſe quiſque ſuamque conſcientiam probet, atque examinet, ac videat num vere ſe ſuorum ſcelerum pæniteat, atque ex iis dolorem animo maximum capiat, cupiens poſt hac vitam honeſtè ec ſanctè inſtituere: ſed multo maxime, ac fiduciam habeat in Dei

miſe-

miſericordia fixam, & poſitam & in Chriſto Jeſu ſuam ſalutem omni ex parte quærat, omnibus inimicitiis, ac ſimultatibus nuncium remittens nihilque aliud ſtudens, niſi ut poſt hàc fraterna benevolentia, & charitate proximos ſuos complectatur.

Quod ſi hoc ſtudium in nobis eſſe noſtra conſcientia coram Deo teſtatur, ne dubitemus, quin habeat nos in filiorum loco & numero, Dominuſque noſter Jeſus Chriſtus nos compellet, atque ad convivium ſuum invitet, ſanctiſſimumque hoc Sacramentum nobis offerat, quod cum diſcipulis ſuis communicavit.

Et quanquam plurimum in nobis fragilitatis; & miſeriæ ſentimus, neque fide perfecta præditi ſumus, ſed in diffidentiam & incredulitatem propendemus, multumque abeſt, ut tanto ſtudio atque ardore animi Deo ſerviamus, quam ratio exigit, quin potius bellum nobis aſſidue adverſus carnis noſtræ concupiſcentias gerendum eſt: quoniam tamen Dominus nobis benignitate ſua conceſſit, ut ejus Evangelium in animis noſtris impreſſum, atque inſculptum ſit, quo incredulitati diffidentiæque reſiſtamus, nobiſque deſiderium largitus eſt, cupiditatibus noſtris renunciandi, quo juſtitiam illius, ſanctiſſimaſque leges, & præceptiones obſervemus: certum atque exploratum habeamus, vitia omnia, quæ in nobis ſunt, minime obfutura, quo minus nos admittat, dignoſque reddat, qui ſpirituali hoc convivio participemus. Neque enim ob eam cauſam huc venimus, ut profiteamur nos integros & juſtos eſſe in nobis metipſis ſed potius vitam noſtram magno ſtudio in Chriſto Jeſu quærentes, fateamur nos in morte, atque exitio verſari. Teneamus igitur atque intelligamus, Sacramentum hoc morbo ac dolore affectis medicinam eſſe, dignitatemque omnem quam à nobis Deus requirit, in eo verſari, ut noſmetipſos quemadmodum recta ratio præſcribit agnoſcamus, doloremque maximum ac mærorem ex vitiis noſtris capiamus, voluptatemque & lætitiam omnem in eo collocemus.

Primum igitur fidem habeamus promiſſis, quæ Chriſtus Jeſus veritas ipſa conſtans & firma, nobis oſtendit: velle ſe videlicet vere nobiſcum carnem & ſanguinem ſuum communicare, ut eum totum, atque integrum poſſideamus, ipſeque in nobis vivat, & nos in illo. Et quamvis nihil niſi panem ac vinum videamus: minime tamen dubitemus quin ſpiritualiter in animis noſtris id omne impleat ac perficiat, quod extrinſecus in his aſpectabilibus ſignis commonſtrat: ipſum videlicet panem eſſe Cœleſtem, qui nos alat, ac nutriat ad vitam æternam: Itaque ne in bonitatem infinitam Domini ingrati ſimus, qui in hac menſa divitias opeſque ſuas omnes exponit, ut eas nobiſcum communicet. Nobis enim ſeſe largiens, teſtificatur ſe ,quicquid habet, in nos profundere. Quam obrem Sacramentum hoc tanquam pignus juſtitiæ ipſius recipiamus, quæ nobis vi mortis ac ſupplicii illius imputabitur, nihilo ſecius quam ſi eo ſupplicio noſmetipſi affecti eſſemus. Ne igitur tam pervicaci, ac perdita natura ſimus, ut tum fugiamus, quum Chriſtus nos tam humaniter ac liberaliter ſuo verbo invitat. ſed muneris hujus quod nobis impertit pretium ac dignitatem ſpectantes, ardenti ſtudio ei nos offeramus, ut tam pretioſo munere nos dignos reddat. Ob eamque cauſam animos ac mentes noſtras ſurſum erigamus, ubi Chriſtus eſt in gloria Patris & unde eum nos ad redemptionem noſtram expectamus. Neque verò animos in his terrenis & caducis elementis occupemus, quæ & oculis cernimus, & manibus tractamus, quaſi eum ibi quæramus, ut in pane vinoque incluſum. Tum enim animi noſtri ſubſtantia ejus ali ac nutriri poterunt, quum ſupra terrena omnia erecti, ad Cœlos uſque pertingent, ut in Regnum Dei, ubi ipſe habitat, ingrediantur. Satis ergo habeamus, ſi panis ac vinum nobis pro nota & ſigno dentur, veritatem in Spiritu inveſtigantes, ubi Verbum Divinum eam nos repertu📚ros confirmat.

„ Ubi finem dicendi Concionator fecit, tum panem ver-

„ bi-

„ bi Miniſtri, calicem vero Seniores Eccleſiæ, qui morum
„ cenſuræ præſunt, populo diſtribuunt, prius commonitione
„ facta, ut honeſtè & decenter eo quiſque adeat. Interea ca-
„ nitur Pſalmus aliquis, aut locus Scripturæ, rei, quæ Sacra-
„ mento, deſignatur congruens atque conveniens clara & ma-
„ gna voce recitatur.

„ Ad extremum habentur gratiarum actiones, quas ſu-
„ pra deſcripſimus.

„ Non ignoramus pleroſque majorem in modum offenſos
„ fuiſſe, quod tam multa in hoc genere ab uſu multis jam ſe-
„ culis recepto aliena à nobis inducta ſint. Quod enim Miſſa
„ multos annos tanto in pretio habita eſt, ut omnes eam exiſti-
„ marint diſciplinæ Religioniſque Chriſtianæ caput eſſe, non
„ dubitamus qu amplurimos mirari, quod eamplane ac fundi-
„ tus tollendam curavimus. Eamque obrem, quibus conſilii
„ noſtri ratio minus perſpecta eſt, ii ſublata à nobis fuiſſe Sa-
„ crameuta exiſtimant. Verum ſi quis inſtituti noſtri rationem
„ diligentius perpendat, is ſine dubio intelliget reſtituta po-
„ tius, atque in uſum relata à nobis fuiſſe. Quod ut perſpici à
„ quovis poſſit, conſideretur quanta inter Miſſam & Chriſti
„ inſtitutionem ſimilitudo ſit. Quis non videt, non minus in-
„ ter utramque, quam inter lucem & tenebras inter eſſe? Tam
„ etſi non eſt hoc quidem loco propoſiti inſtitutique noſtri,
„ copioſius hanc diputationem perſequi. Verum ut iis ſatisfa-
„ ceremus, qui per ignorantiam eo nomine offendi poſſent,
„ operæ pretium nobis viſum eſt, nonnihil obiter de ea re
„ commemorare. Quum enim Sacramentum Domini tam
„ multis corruptelis ac vitiis inquinatum, ac fœdatum eſſe
„ videremus: ut hiſce malis remedium adhiberemus, neceſſe
„ habuimus multa immutare, quæ perperam ac vitioſe intro-
„ ducta fuerant, certè in perverſum ac præpoſterum uſum de-
„ torta. Quod quò rectius faceremus, quæ tandem potius ſe-
„ quenda eſſe ratio videbatur quam ſi ad purum, & incorrup-

„ tum Chriſti inſtitutum rem omnem revocaremus. quod ſane
„ religioſe ac bona fide (quemadmodum ſatis intelligi licet)
„ ſequuti ſumus. Hæc enim ipſa emendatio eſt, quam nobis
„ Paulus præſcripſit.

CAPUT IIII.

Liturgia Anglicana refertur.

EX quo Henricus VIII. Schiſmate facto in comitiis regni celebratis ann. 1531. ſe caput ſupremum, & Protectorem Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum Angliæ declaravit, ſenſim cum Catholicæ Eccleſiæ Doctrina, Liturgia cœpit abrogari, & nova componi, quæ conformis eſſet novæ doctrinæ per Lutheranos alioſque novatores invectæ. Itaque ſub Eduardo hujus nominis VI. quibuſdam viris provincia fuit impoſita, qui Liturgias Anglicanas antiquas, quæ quinque numerabantur in Regno Anglicano, reformarent, & ad unam reducerent; Ergo compoſita, & probata in comitiis Decembri 1548. & Januario ſubſeqq. habitis, anglice fuit impreſſa & vulgata an. 1549. Hanc ex codice miſſali exſtante in Bibliotheca Colbertina edidit cl: Brun diſſert. 13. art. 3. §. 2. contra hanc Liturgiam Calvinus aliique ſectarij epiſtolas dederunt: quam obrem an. 1552. altera ſub Eduardo pariter vulgata Anglice fuit in urbe Londonen: quæ & uſu obtinuit uſque ad mortem Eduardi, quæ contigit die 6. Julii ann. 1553. Hanc refert Brunus §. 3. & varietates obſervat. Sed cum menſe Octobri Maria Soror Edvardi, & Henrici Filia, clavum tenuiſſet, hæc abrogatis Liturgiis novis, & Schiſmate longe abacto, cum Eccleſia Catholica unionem Angliæ fecit, & antiquos miſſales ac Liturgicos Libros reſtituit atque ea Regnante Miſſales Sacri Angliæ pluries editi fuere. Verum die 17. Novembris ann. 1558. defunctæ Mariæ cum ſucceſſiſſet Eliſabetha Soror, & Henrici 8. ex

Anna Bolena filia; Hæc Schiſma renovavit, & Liturgiam alteram Eduardi VI. revocavit, ut autem Catholicos falleret, quædam mutavit, ac primo à Litaniis expungi juſſit illa *à Tyrannide Epiſcopi Romani*, *ejuſque deteſtandis erroribus*, *Libera nos Domine* quæ ab ann. 1544. fuerant intruſa. 2. quoniam in illa Liturgia nulla mentio habebatur de Sacris veſtibus ac ornamentis, Regina voluit a miniſtris ſacra ornamenta reſumi, quæ in priori Eduardi Liturgia memorabantur.

3. Demum ita utramque Liturgiam ordinarunt, ut dogma Tranſubſtantiationis, & realis præſentiæ corporis Chriſti indeterminatum maneret, quare Rubricas circa Euchariſtiæ diſpenſationem & receptionem reformarunt, adeo ut tam Heretici, quam Catholici ſine piaculo viderentur poſſe illa uti. Hanc Liturgiam Pio IV. non diſplicuiſſe, ſcribunt nonnulli, qui & ſubdunt: Famam obtinere Pontificem fidem dediſſe Liturgiam Anglicanam ſua auctoritate confirmaturum, dummodo Eliſabet Regina Eccleſiæ Romanæ ſe aggregaret, Romanæque Cathedræ primatum agnoſceret. Cœterum Durelius in vindiciis Eccleſiæ Anglicanæ cap. 12. hanc fabulam notavit.

Jacobus VI. Stuardus Scotiæ Rex, & ſub nomine Jacobi I. Eliſabetæ in Angliæ Regno ſucceſſor imprimendam curavit ann. 1616. London. præfatam Liturgiam Gallico idiomate, levibus quibuſdam factis immutationibus, quæ declarationes potius habendæ ſunt. Sed longus eſſem ſi varietates, ac viciſſitudines, & motus inde conſecutos in Anglia vellem percenſere quod jam præſtiterunt alij cl. viri, adeundi propterea ſunt Illuſtriſſimus Boſſuetius in ſua hiſtoria variationum, & le Brun laudatus.

Itaque eam referam ex libro impreſſo an. 1681. Londini apud Sam. Mearne, cui Titulus *Liturgia ſeu liber Precum Communium*, *& adminiſtrationis Sacramentorum*, *aliorum Rituum*, *atque cæremoniarum juxta uſum Eccleſiæ Anglicanæ* ibi ſequentia leguntur.

ORDO

ORDO ADMINISTRANDÆ CÆNÆ DOMINI SEU SACRÆ COMMUNIONIS.

„ QUotquot cupiunt participes fieri Sacræ Communio-
„ nis, nomina ſua, pridie ſaltem ſacrorum miniſtro in-
„ dicabunt. Si quis autem ſit manifeſte flagitioſus, aut pro-
„ ximum verbis factiſve injuria affecerit ita ut Eccleſia eo pacto
„ ſit offenſa; de hoc certior factus Miniſter eum advocabit, &
„ monebit ne ullo modo audeat ad menſam Domini accedere,
„ uſque dum veræ reſipiſcentiæ, & morum emendationis indi-
„ cia manifeſta prebuerit; ita ut Eccleſiæ quam prius offenderat
„ ſit ſatisfactum, ut & iis, quos affecerat injuria; aut ſaltem pro-
„ mittat id ſibi propoſitum quam primum id commode fieri
„ poterit. „

„ Eundem agendi modum, & ordinem tenebit Miniſter
„ cum iis, inter quos intelliget vigere ſimultates, & odia, nec
„ ſinet eos menſæ Domini communicare donec certior factus
„ fuerit de eorum reconciliatione, quod ſi pars altera alteri of-
„ fenſam acceptam ex animo remittere, aut pro illata ſatisface-
„ re parata ſit, altera id detrectante, & in odio, & malitia ſua
„ perſiſtente, ita ut ad piam concordiam adduci nolit; Miniſter
„ poenitentem ad ſacram communionem admittet, non vero
„ pertinacem, cum hac cautela, ut miniſter, qui quemquam à
„ ſacris arcuerit pro ut habetur in hoc aut præcedente hujus ru-
„ bricæ paragrafo, totum negotium cum ordinario communi-
„ cet intra dies quatuordecim ad ſummum. Ordinarius autem
„ inquiret in eum, qui ſic offenderit juxta canonem. „

„ Quo tempore coena Domini celebrabitur menſa panno
„ mundo lineo ſtrata ſtabit in medio vel Templi, vel Chori, ubi
„ Matutinæ, & Veſpertinæ præces debent recitari, Presbiter au-
„ tem ſtans ad Septentrionalem partem menſæ orationem Do-
„ minicam cum collecta ſequente recitabit, populo in genua

provo-

„ provoluto. „ Pater noſter qui es in Cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie &c.

Collecta.

Omnipotens Deus cui omne cor patet, omnes affectus cogniti ſunt, & nullum ſecretum eſt abſconditum, Purifica cogitationes cordium noſtrorum per inſpirationem Spiritus Sancti, ut te ex animo amemus, & Sanctum nomen tuum debita veneratione celebremus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum amen.

„ Tum Presbiter converſus ad populum, Decalogum in-
„ tegrum clara voce recitabit: Populus àutem in genua adhuc
„ provolutus poſt unum quodque mandatum, veniam petat à
„ Deo pro illius violatione tempore præterito, & rogabit ut ſi-
„ bi gratia concedatur qua illud ſervet in futurum, in hunc mo-
„ dum. „

Miniſter.

I. Locutus eſt Deus hos ſermones, & dixit. Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

II. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patris in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Mini-

Miniſter.

III. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra. *Populus.*

Domine miſerere noſtri & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina. *Miniſter.*

IV. Memento ut diem Sabbati Santifices ſex diebus; operaberis, & facies omnia opera tua; Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim Diebus fecit Dominus Cœlum, & Terram, & Mare & omnia, quæ in eis ſunt: & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & Sanctificavit eum.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina. *Miniſter.*

V. Honora patrem tuum & matrem tuam ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter. VI. Non occides.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina. .

Miniſter. VII. Non Mæcaberis.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter. VIII. Non furtum facies.

Populus.

Domine Miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina. *Mini-*

Miniſter.

IX. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. *Populus.*

Domine Miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina. *Miniſter.*

X. Non concupiſces Domum proximi tui, nec deſiderabis Uxorem ejus, non Servum, non Ancillam, non Bovem non Aſinum nec omnia, quæ illius ſunt.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & hæc omnia mandata tua cordibus noſtris, quæſumus, inſcribe.

Tum ſequetur harum Collectarum alterutra pro Rege, Presbytero ut antea ſtante ac dicente.

Oremus.

Omnipotens Deus, cujus Regnum æternum & potentia infinita miſerere univerſæ Eccleſiæ; Et cor electi famuli tui *Caroli* Regis ac Gubernatoris noſtri ita dirige, ut ipſe (gnarus cujus ſit Miniſter) ſupra omnia honorem, & gloriam tuam quærat, nos vero & quotquot ei ſubjecti ſunt (debite penſitantes à quo ſit illius authoritas) fideliter ei ſerviamus illum honoremus, & ei humiliter obediamus, in te ac propter te, juxta Sacrum verbum, & mandatum tuum; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui una tecum, & cum Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſecula ſeculorum amen.

Aut.

Omnipotens, & ſempiterne Deus, ex ſacro Verbo tuo diſcimus corda Regum in manu tua eſſe, eaque à te dirigi, atque inclinari, prout divinæ tuæ Sapientiæ optime viſum fuerit: ſupplices te rogamus uti cor tui famuli *Caroli* Regis Gubernatoris noſtri, ita inclines, atque dirigas, ut omni cogitatione, verbo, ac opere, indeſinenter quærat honorem, ac gloriam tuam, & populum tuum curæ ſuæ demandatum cuſtodire opibus, pace, ac pietate florentem ſtudeat. Hæc conce-

de o Pater miſericors, ptopter dilectum filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Tum dicetur collecta diei, ac immediate poſt collectam Presbyter leget Epiſtolam dicens.

Epiſtola (ſeu, portio ſcripturæ aſſignata pro epiſtola) ſcripta eſt capite...... Epiſt...... verſu...... *finita autem Epiſtola, dicet,* Hic deſinit epiſtola. *Tum leget Evangelium (ſtante univerſo populo) dicens* Sanctum Evangelium ſcriptum eſt capite...... Evangelii...... verſu...... *finito autem Evangelio cantabitur ſequens Symbolum ſtante adhuc univerſo populo ut antea.*

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli & Terræ, atque viſibilium omnium, & invi ſibilium: & in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filiu m Dei Unigenitum ex patre natum ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero; Genitum non factum: conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & Incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato. Paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram patris, & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos: cujus Regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, Qui ex patre filioque procedit, Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per profetas, & unam Sanctam Catholicam & apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor uuum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum & vitam venturi Seculi amen.

„ Tum Miniſter populo renunciabit ſi qui ſunt dies feſti,
„ aut jejunij per ſequentem hebdomadam obſervandi, tum
„ etiam, ſi dabitur occaſio, futura comunio prænunciabitur:
„ & matrimoniorum futurorum ſolemnitas, breviæ etiam citationes,

„ tiones, & excomunicationes legentur. Nec quicquam pro-
„ mulgabitur aut publicabitur in Eccleſia, quo tempore Sa-
„ cra peraguntur præterquam ab ipſo miniſtro. Nec quicquam
„ ab ipſo niſi quod regulis hujus libri continetur, aut à Regia
„ Majeſtate imperatum aut à loci ordinario præſcriptum fue-
„ rit.„

„ Tum ſequetur concio, ſeu aliquà Homiliarum jam edi-
„ tarum aut in poſterum publica authoritate edendarum.

„ Tum Presbiter ad menſam Domini revertetur, & offer-
„ torium incipiet, una, aut altera, aut etiam pluribus harum
„ ſenteniarum recitatis, pro ut ipſi convenientius videbi-
„ tur.„

Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in Cœlis eſt. (*S. Matth.* v. 16.)

Nolite Theſaurizare vobis Theſauros in terra:ubi erugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. (*S. Matth.* VI. 19. 20.)

Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines ita & vos facite illis. Hoc eſt enim lex & prophetæ. (*S. Matth.* VII. 12.)

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in Regnum Cœlorum: ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cœlorum. (*S. Matth.* VII. 21.)

Stans autem Zachæus dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. (*S. Luc.* XIX. 8.)

Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? (1. *Cor.* IX. 7.)

Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? (1. *Cor.* IX. 11.)

Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ, & de Sacrario ſunt edunt, & qui altario deſerviunt, cum altario participant? ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere. (1. *Cor.* IX. 13. 14.)

Hoc autem dico qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus, & metet. unuſquiſque prout deſtinavit in corde, non ex triſtitia aut ex neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. (2. *Cor.* IX. 6. 7.)

Communicet autem is, qui Cathechizatur verbo, ei qui ſe Cathechizat bonis. Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo; hæc & metet. (*Gal.* VI. 6. 1.)

Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes maxime autem ad domeſticos fidei. (*Gal.* VI. 10.)

Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus. (1. *Tim.* VI. 6. 7.)

Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum;) bene agere divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare theſauriſare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant bonam vitam. (1. *Tim.* VI. 17. 18., 19.)

Non enim injuſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtenditis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis. (*Heb.* VI. 10.)

Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. (*Heb.* X. 11 16.)

Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo Charitas Dei manet in eo? (1. 5. *Joan.* III. 11.)

Ex ſubſtantia tua fac Eleemoſynas & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere ita enim fiet ut nec à te avvertatur facies Domini. (*Tob.* IV. 7.)

Quo-

Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abbundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri ſtude; præmium enim bonum tibi Theſaurizas in die neceſſitatis. (*Tob.* IV. 8. 9.)

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis & viciſſitudinem ſuam reddit ei. (*Prov.* XIX. 17.)

Beatus vir, qui intelligit ſuper Egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. (*Pſalm.* XII. 1.)

„ Dum iſta recitantur. Diaconi, Æditui, aliive ad hoc „ idonei, quibus illud muneris demandatum eſt, eleemoſinam „ in pauperum uſus erogatam colligent, ut & alias populi obla- „ tiones in pios uſus in Amula ſeu lance idonea à Parochianis „ in hunc vſum comparata, eamque ad Presbyterum reveren- „ ter affer nt, ab illo autem, geſtu modeſto ac humili ſuper „ ſacra menſa collocabitur.

„ Quoties vero ſacra communio celebrabitur, tum Pre- „ sbyter tantum panis, & vini ſuper menſa reponet quantum „ ſufficere videbitur, Quibus peractis dicat Presbyter.

Oremus pro univerſo ſtatu Eccleſiæ Chriſti hic in Terra militantis.

Omnipotens, & æterne Deus, qui per Sanctum Apoſtolum tuum nos docuiſti orare obſecrare, deprecari, & gratias agere pro omnibus hominibus, te rogamus ſupplices ut clementer (*) (eleemoſinas atque oblationes noſtras accipias ac) has noſtras orationes, quas divinæ majeſtati tuæ offerimus exaudias ſupplicantes, ut ſpiritum veritatis unitatis ac concordiæ univerſæ Eccleſiæ tuæ inſpires. Concede etiam ut quotquot Sanctum nomen tuum confitentur, ii omnes in Sancti verbi tui veritate conſentiant, vivantque inter ſe in Charitate concordes inſuper te rogamus ſupplices, ut omnes Reges, Principes ac Dynaſtas, Chriſtum profitentes, ſerves ac tuearis, imprimis autem

(*) *Si Eleemoſinæ oblationeſve nullæ fiant, Tum iſta (eleemoſinas, atque oblationes noſtras accipias ac) quæ parent eſi includuntur omittenda erunt.*

autem famulum tuum *Carolum* Regem noſtrum, ut ſub eo pie, & tranquille vivamus. Da etiam conſiliariis ipſius univerſis, ſingulisque Magiſtratu aliquo ſub ipſo fungentibus ut recte, ac ſine perſonarum acceptione jus dicant, nequitia, & vitia coercendo, & veram Dei religionem, & virtutem tuendo, & propagando. Eam autem gratiam Epiſcopis, ac miniſtris omnibus largire, qua cum moribus tum doctrina verbum tuum vivum patefaciant, ac promoveant illuſtrent, & recte riteque ſacramenta adminiſtrent, & populo tuo univerſo, huic autem cœtui præſertim, concede ut animo miti ac debita reverentia Sanctum Verbum tuum audiant, ac excipiant, tibi vere ſervientes in Sanctitate, & juſtitia, omnibus diebus vitæ ſuæ; maxima inſuper cum animi demiſſione te rogamus Domine pro benignitate tua, ut eos omnes conſoleris, & adjuves, qui in Anguſtiis, doloribus, inopia, morbo, aliiſque rebus adverſis premuntur. Atque ſancto nomini tuo benedicimus pro omnibus famulis tuis, qui in fide, ac timore tuo ex hac vita migrarunt ſuppliciter te rogamus ut gratia nobis concedatur qua eorum exempla bona ſequuti una cum illis regni tui Cœleſtis fiamus participes. Hæc nobis concede, Pater, propter Jeſum Chriſtum mediatorem, & advocatum noſtrum unicum Amen.

Quum Miniſter futuram comunionem Sacram pronunciat (quam ſemper prænunciabit Dominica, aut feſto die aliquo immediate precedente) finita concione, aut Homilia ſequentem exhortationem præleget.

CArissimi ac dilectiſſimi die ...... proxime ſequenti mihi propoſitum eſt favente Deo, quotquot fuerint ea, quam decet, pietate, ac devotione, affecti, iis omnibus, ac ſingulis adminiſtrare maxime ſalutare illud Sacramentum Corporis, ac Sanguinis Chriſti; ab iis participandum in memoriam merito-

riæ il-

riæ illius Crucis, ac Paſſionis, qua ſola peccatorum noſtrorum remiſſionem impetramus, & ad Regni Cœlorum conſortium pervenimus. Noſtrum eſt itaque ſubmiſſe atque ex animo gratias agere omnipotenti Deo Patri noſtro Cœleſti, quia dedit Filium ſuum Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, non tantum ut pro nobis moreretur, verum etiam ut eſſet nobis ſpiritualis cibus, & ſuſtentatio in ſancto illo Sacramento. Quod quidem cum adeo divinum, ac ſalutare ſit digne illud participantibus, adeo vero periculoſum indigne illud ſumere audentibus, meum eſt vos hortari ut interea temporis, dignitatem illius Sancti Myſterii perpendatis magnumque illud, quod indignæ illius participationis imminet periculum; utque ſuam quiſque conſcientiam exploretis, atque examinetis, idque non perfunctorie uti ſolent Ipocritæ; ſed ita ut Sancti mundique ad tam Cœleſtes epulas accedatis, induti veſte illa nuptiali; quam requirit Deus in Sacris Scripturis, & admittamini tanquam indigni qui ſacram illam menſam participent.

Ad hæc via atque ratio prima eſt, ut vitam ac converſationem veſtram explorare velitis ad normam mandatorum Dei; atque ubicumque animadvertetis à vobis peccatum eſſe voluntate, verbove aut facto, ibi gemere, ac lamentari ob peccata veſtra, confiterique omnipotenti Deo cum firmo conſtantiquæ vitæ emendandæ propoſito. Quod ſi peccata veſtra ejuſmodi vobis eſſe videantur, ut non tantum Deum, verum etiam proximos veſtros offenderint, tum eorum gratiam vobis conciliabitis, parati ad reſtituendum & ſatisfaciendum quantum quidem in vobis erit pro contumeliis ac injuriis quibuſcumque alteri à vobis illatis: Parati etiam ad condonandum iis, qui in vos peccaverint, prout peccata veſtra vobis à Deo condonari in votis eſt; ſecus enim Sacræ Communionis participatio hoc unum preſtat, quod reatum veſtrum adaugebit. Qua propter ſi quis veſtrum ſit blaſphemus adverſus Deum aut verbi illius hoſtis ac calumniator; ſi quis ſit adulter, aut malitia, aut invi-

invidia laboret, aut in alio quocumque magno ſcelere verſetur reſcipiſcite à peccatis veſtris, ſin minus nolite ad Sacram illam menſam accedere; ne poſt participatum Sanctum illud Sacramentum, Diabolus in vos ingrediatur, quemadmodum iu Judam ingreſſus eſt, & vos repleat omni iniquitate, & vos perducat in exitium, tum Corporis, tum Animæ.

quandoquidem vero neminem par eſt ad hanc Sacram Communionem accedere, abſque Sancta fiducia in Dei miſericordiam, ac pacata conſcientia; ſi quis veſtrum conſcientiæ ſuæ tranquillitatem comparere ſupradictis rationibus non valeat, ſed ampliore conſolatione aut conſilio ſibi opus eſſe putet, ad me accedat, aut alium prudentem ac doctum verbi Dei miniſtrum adeat, & id quo gravatur illi exponat, ut verbi Dei miniſterio abſolutionis beneficium conſequatur, ut & ſpirituale conſilium, & admonitionem ad conſcientiæ æſtus ſedandos, & dubia, ac ſcrupolos omnes eximendos.

Aut ſi animadvertat, quod populus negligat ad Sacram Communionem accedere, loco præcedentis, hac utetur exhortatione.

Chariſſimi, ac dilectiſſimi Fratres...... conſtitui favente Deo Cœnam Domini celebrare: ad quam ego vos quotquot adeſtis, omnes voco nomine Dei, voſque obſecro propter Dominum Jeſum Chriſtum ne ad illam accedere recuſetis, tam amanter ſcilicet à Deo ipſo vocati: atque invitati. Noſtis quam graviter quamque iniquo animo ferri ſolent ſi quis lautum convivium apparaverit, & menſa omni genere eduliorum jam inſtructa adeo ut nihil deſit niſi ut convivæ accumbant; vocati tam ingrati animo ſint, ut temere nullaque de cauſa accedere dignentur. Quis veſtrum ſi ſecum ita ageretur, non comoveretur? quis non ingentem fieri ſibi injuriam putaret? Quamobrem Chariſſimi, & in Chriſto prædilecti, cavate ne ſubducentes vos à Sancta hac cœna iram Dei in vos provocetis. Facile dici poteſt abs quovis homine Cœnam Domini accipere nolo

nolo, quoniam alias ſum mundanis negotiis impeditus. Verum ejuſmodi excuſationes non tam facile à Deo admittuntur, aut probantur coram Deo. Si quis dicat, ſum gravium peccatorum reus, ideoque metuo accedere; quum redeundum eſt ad Deum, num cauſamini, vos nondum eſſe paratos? Hoc apud vos diligenter reputate, quam parum valebunt apud Deum ejuſmodi fictæ ac ſimulatæ cauſationes, qui convivium reſpuerant, juxta quod habetur in Evangelio quia villam emerant, aut juga bovum experiri vellent, aut matrimonium contraxerant, non excuſati, ſed indigni habiti ſunt Cœleſti convivio. Ego quidem præſto adero, ac pro officio meo, invito vos Dei nomine, voco vos propter Chriſtum: vos exhortor, quantum ſalus veſtra vobis curæ eſt, ut ſitis hujus Sacræ Communionis participes. Et quemadmodum filius Dei animam in cruce pro ſalute veſtra morte profundere dignatus eſt: ita hoc officii vobis incumbit, ut Sacræ Cœnæ ſitis convivæ in recordationem ſacrificii mortis illius, prout ipſe præcepit, quod quidem ſi à vobis neglectum fuerit, apud vos reputate, quantam Deo facitis injuriam & quantum inde vobis immineat periculum, quandoquidem ſcientes volentes à miſſa Domini abſtinetis, ſeceſſum facientes à fratribus veſtris, qui accedunt ut paſcantur epulis cibi illius admodum Cœleſtis. Hæc ſi attente perpenderitis, ad meliorem mentem Deo dante reverſuri eſtis, quam ut conſequamini omnipotentem Deum Patrem noſtrum Cœleſtem indeſinenter rogabimus.

Quum celebrabitur Sacra Communio, Communicantibus in locis idonei ad Sacrum-Sacramentum commode accipiendum diſpoſitis, Presbyter hanc exortationem recitabit.

Chariſſimi, ac dilectiſſimi in Domino, quibus propoſitum eſt accedere ad Sanctam Communionem Corporis, ac Sanguinis Chriſti Servatoris noſtri oportet ut attendatis quomodo Sanctus Paulus homines omnes exhortatur, ut ſe ipſos probent

diligenter, priuſquam audeant panem illum comedere, ac Calicem illum bibere. Nam ſicuti magnum inde redundat in nos beneficium, ſi fide viva ſancti illius Sacramenti fiamus participes (tum enim ſpiritualiter carnem Chriſti comedimus, & illius Sanguinem bibimus, tum in Chriſto habitamus, & Chriſtus in nobis; unum ſumus cum Chriſto, & Chriſtus nobiſcum) ita nobis imminet ingens periculum, ſi indigne illud accipimus. tum enim rei efficimur Corporis, & Sanguinis Chriſti Servatoris noſtri, edimus, & bibimus judicium noſtrum, non diſcernentes corpus Domini, iram Dei adverſus nos accendimus, illum provocamus ad nos plectendos morbis, ac mortis generibus variis. Quapropter fratres vos ipſos judicate, ne á Domino judicemini, præteritorum peccatorum vos ſerio pœniteat; viva, ac ſolida fide Chriſtum ſervatorem noſtrum amplectimini Vitam emendate, & omnes homines ex animo diligite; ſic enim futuri eſtis idonei, qui horum Sanctorum myſteriorum fiatis participes. Verum ante omnia vos oportet demiſſe atque ex animo gratias agere Deo Patri, filio, & Spiritui Sancto, ob redemptionem mundi per mortem ac paſſionem Chriſti ſervatoris noſtri, veri Dei ſimul, & veri hominis, qui ſe ipſum humiliavit uſque ad mortem, mortem autem Crucis pro nobis miſeris peccatoribus, cum habitaremus in tenebris, & umbra mortis, ut nos faceret filios Dei, & ad vitam æternam eveheret. Ut autem perpetua memoria recoleremus immenſam Charitatem Domini noſtri, & ſervatoris unici Jeſu Chriſti eo pacto pro nobis morientis; ut & innumera beneficia, quæ Sanguinis ſui prætioſa effuſione nobis impetravit Sacroſancta Myſteria amoris ſui veluti pignora, ad perpetuam mortis ſuæ recordationem inſtituit ac ordinavit, ad magnam atque æternam conſolationem noſtram: ipſi itaque unacum Patre, & Spiritu Sancto indeſinenter (prout tenemur maxime) gratias agamus, ſanctiſſimæ illius voluntati prorſus nos ſubiicientes, & operam dantes, ut ei Serviamus in ſanctitate, & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ amen.

Tum

Tum Presbyter ad accipiendam Sacram Communionem accedentibus dicet.

Vos quoque vere, & ſerio peccatorum veſtrorum pænitet, quippe proximos vera Charitate complectimini, & vitam novam inſtituere decreviſtis mandatis Dei obſequendo, & in viis ejus ſanctis poſt hac ambulando cum fide accedite, & hoc Sanctum Sacramentum accipite in ſolatium veſtrum atque omnipotenti Deo magna cum animi demiſſione confitemini in genua modeſte provoluti.

Tum hæc generalis confeſſio eorum omnium nomine, quibus propoſitum eſt Sacram Communionem accipere, fiet ab aliquo Miniſtrorum, ipſo & populo univerſo in genua humiliter provolutis, ac dicentibus.

Omnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti rerum omnium conditor, hominum omnium Judex, confitemur ac deploramus multiplicia peccata, & ſcelera noſtra quæ ſub inde flagitioſe admodum commiſimus, cogitatione, verbo & opere, contra divinam tuam majeſtatem, iram atque indignationem tuam adverſus nos juſtiſſimè provocantes. Serio nos penitet; & ex animo dolemus ob ejuſmodi delicta noſtra, eorum recordatio nobis acerba eſt, onus intolerabile. Miſerere noſtri, miſerere noſtri Pater ſumme miſericors, propter filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum præteritorum omnium veniam concede; da etiam ut inpoſterum ſemper tibi ſerviamus, & placeamus in novitate vitæ, ad nominis tui honorem, & gloriam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Tum Presbiter (aut Epiſcopus ſi adſit) eriget ſe, & converſus ad Populum hanc abſolutionem pronunciabit.

OMnipotens Deus Pater noſter Cœleſtis, qui ex ſumma miſericordia peccatorum remiſſionem promiſit iis omnibus, qui ſerio, atque ex animo pœnitentes cum vera fide

ad eum ſe convertunt, veſtri miſereatur, peccata veſtra vobis omnia condonet, ab iiſque vos liberet, vos confirmet, & roboret in omni bono, voſque perducat ad vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Deinde Presbiter dicet.

Audite ſuaviſſima verba Chriſti Servatoris noſtri ad conſolandum eos omnes, qui ad ipſum revera convertuntur.

Venite ad me omnes qui laboratis, atqne onerati eſtis, & ego reficiam vos. (*Matth.* xi. 28.

Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. (*S. Joan.* IIII. 16.

Audite etiam qui dicat Sanctus Paulus.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, 1. *Tim.* 1. 15.

Audite etiam quid dicat S. Joannes.

Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. (1. 8. *Joan.* 11. 1.

„ Poſt quæ perget Presbiter dicens „ ſurſum corda. „

Reſp. Elevamus ad Dominum.

Presb. Gratias agamus Domino Deo noſtro,

Reſp. Dignum, & juſtum eſt.

„ Tum Presbiter ad menſam Domini converſus dicet. „

Vère dignum, & juſtum eſt, & indiſpenſabili officio tenemur tibi ſemper, & ubique gratias agere Domine (*) Sancte Pater omnipotens æterne Deus.

„ Hic ſequetur præfatio ſolemnitati peculiaris, ſi qua „ ſit expreſſe aſſignata, alioqui ſtatim ſubjungetur. „

Ideo cum Angelis, & Arcangelis, cumque omni militia coele-

(*) *Hæc verba (Sancte pater) in feſto Trinitatis omittentur.*

cœleſtis exercitus glorioſum nomen tuum laudamus, & magnificamus, te ſine fine celebrantes, ac dicentes Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt Cœli, ac terra gloria tua. Oſanna tibi in excelſis Deus. Amen.

Præfationes propriæ.

„ Natali die Chriſti, & ſeptem diebus ſequentibus. „

Quia dediſti nobis unicum filium tuum Jeſum Chriſtum, ut pro nobis quaſi hoc tempore naſceretur, qui per operationem ſpiritus Sancti factus eſt verus homo ex ſubſtantia Mariæ Virginis matris ſuæ, idque ſine labe peccati, ut nos ab omni peccato mundaret. Ideo cum Angelis &c.

Die Paſchatis, & ſeptem diebus ſequentibus.

Imprimis autem te laudare tenemur propter glorioſam reſurrectionem filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri, ipſe enim verus eſt Paſchalis Agnus pro nobis oblatus, qui abſtulit peccatum mundi: qui morte ſua mortem deſtruxit, & ſua reſurrectione vitam æternam nobis reſtituit. Ideo &c.

Die aſcenſionis, & ſeptem diebus ſequentibus.

Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum filium tuum prædilectum, qui poſt glorioſiſſimam ſuam reſurrectionem manifeſto apparuit omnibus apoſtolis ſuis, ipſisque ſpectantibus in Cœlos aſcendit, ut locum nobis præpararet, adeo ut ibi ipſe eſt, eo nos etiam aſcendamus, & cum ipſo regnemus in gloria. Ideo &c.

Die Pentecoſtes, & 6. diebus ſequentibus.

Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, juxta cujus certiſſimam promiſſionem ſpiritus Sanctus hoc quaſi tempore, cum ſubito, & ingenti ſonitu de Cœlo deſcendit, tamquam flatus vehemens ad inſtar linguarum ignearum reſidens ſuper Apoſtolos, ut eos doceret, & deduceret in omnem veritatem, impertito ipſis variarum linguarum dono, conceſſaque fiducia, & ferventi zelo ad Evangelium conſtanter prædicandum omnibus gentibus. Quibus educti ſumus e tenebris, & erro-

errore ad puram lucem, & veram tui; Adeoque Jeſu Chriſti Filii tui, cognitionem. Ideo cum Angelis &c.

In feſto Trinitatis tantum.

Qui unus es Deus, unus Dominus; non una tantum perſona, ſed tres perſonæ in una ſubſtantia. Quod enim de gloria patris, illud idem de Filio, & de Spiritu Sancto credimus abſque ulla differentia, aut inæqualitate. Ideo &c.

Poſt unamquamque ex his præfationibus, immediate cantabitur aut recitabitur.

Ideo cum Angelis; & Archangelis, cumque omni militia Cœleſtis exercitus, glorioſum nomen tuum laudamus, & magnificamus, te ſine fine celebrantes ac dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt Cœli, & terra gloria tua Oſanna tibi in excelſis Deus Amen.

Tum presbiter in genua provolutus ad Menſam Domini, hanc ſequentem orationem dicit eorum omnium nomine qui ſunt communicaturi.

Non ideo ad hanc menſam tuam audemus accedere Domine miſericors, quod in noſtra juſtitia confidamus, ſed in multitudine, ac magnitudine miſerationum tuarum, non ſumus digni qui micas colligamus ſub menſa tua. Tu vero idem es Dominus cujus proprium eſt ſemper miſereri, nobis igitur concede Domine miſericors, carnem filii tui dilectiſſimi Jeſu Chriſti, ſic edere ſicque Sanguinem illius bibere ut corpora noſtra peccatis inquinatą munda fiant, & per illius corpus animæ noſtræ abluantur in prætioſo ipſius ſanguine, utque perpetuo in ipſo habitemus, & ipſe in nobis Amen.

Quum Presbiter ſtans ante menſam Domini Panem, & vinum ita diſpoſuerit, ut expeditius, ac decentius poſſit panem frangere coram populo, & calicem in manus ſumere, dicet orationem conſecrationis prout ſequitur.

Omnipotens Deus Pater noſter Cœleſtis qui ex immenſa

tua

tua miſericordia Jeſum Chriſtum Filium tuum unicum dediſti ut mortem Crucis ſubiret pro redemptione noſtra, qui ibi (unica ſui ipſius oblatione ſemel facta) plenum perfectum, & ſufficiens ſacrificium obtulit oblationem & ſatisfactionem pro peccatis totius mundi, & inſtituit, præcepitque nobis in ſancto Evangelio ſuo perpetuam memoriam pretioſæ ſuæ mortis celebrare, uſque dum redeat. Exaudi nos quæſumus ſupplices, Pater miſericors, ac concede, ut nos ſumentes has creaturas panis, & vini juxta Sanctam inſtitutionem Filii tui Servatoris noſtri Jeſu Chriſti in memoriam mortis, ac paſſionis illius, participes fiamus beatiſſimi illius corporis, ac ſanguinis, qui ea nocte, qua tradebatur accepit (1) panem, & cum gratias egiſſet illud (2) fregit, ac dedit diſcipulis ſuis, dicens accipite comedite (3) hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem, ſimiliter poſtquam cœnatum eſt (4) accepit calicem, & poſtquam gratias egiſſet, dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, (5) hic eſt enim Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Hoc facite quotieſcumque biberitis in meam commorationem.

„ Tunc Miniſter primus ſacram comunionem ſumet ipſe
„ ſub utraque ſpecie, tum perget eum porrigere Epiſcopis,
„ Presbiteris & Diaconis eodem modo, ſi qui adfuerint,
„ poſtea vero etiam plebi in manus ordine ſingulis humiliter
„ in genua provolutis, unicuique autem panem porrigens
„ dicet.

Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod pro te traditum

(1) *Hic presbiter accipiat patenam in manus.*
(2) *Hic autem frangat panem.*
(3) *Hic manu porrecta tangat quidquid panis ibi fuerit.*
(4) *Hic Calicem manu prehendat.*
(5) *Et hic vaſa omnia (ſive ſint calices ſive lagenæ) in quibus eſt vinum conſecrandum tanget porrecta manu.*

tum eſt, corpus, & animam tuam ſervet in vitam æternam, & accipe, & comede hoc in memoriam quod Chriſtus mortuus eſt pro te; fide illo veſcitor, in corde tuo, cum gratiarum actione.

Miniſter calicem porrigens unicuique dicet.

Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pro te effuſus eſt, corpus, & animam tuam ſervet in vitam æternam. Bibe hoc in memoria, quod Sanguis Chriſti pro te effuſus eſt, & gratias age.

Si quantum panis, aut vini conſecratum fuerat, id totum abſumptum eſt priuſquam omnes communicaverint; Presbiter majorem copiam conſecrabit juxta prius præſcriptam formulam incipiens a verbis (ſervator noſter Chriſtus eadem nocte qua &c.) *ab his*, (ſimiliter poſtquam Cænatum) *ad benedicendum calici.*

Poſtquam omnes comunicaverint, miniſter redibit ad menſam Domini, & reverenter ſuper ea reponet quicquid ſuperfuerit ex conſecratis elementis, illud cooperiens mundo linteo.

Tum Presbiter recitabit orationem Dominicam, populo unamquamqua petitionem poſt ipſum iterante.

Pater noſter qui es in Cœlis ſanctificetur nomen tuum. Adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & demittimus debitoribus noſtri & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo, quia tuum eſt Regnum, & potentia, gloria, in ſæcula ſeculorum. Amen. *Poſtea dicetur ut habetur in ſequentibus.*

O Domine ac pater Cœleſtis nos humiles famuli rogamus ſupplices paternam tuam bonitatem, ut hoc laudis, & gratiarum actionis Sacrificium clementer accipias humillime ſupplicantes, ut propter merita, & mortem Filii tui Jeſu Chriſti, & per fidem in illius ſanguinem concedas, ut nos cum univerſa Eccleſia peccatorum noſtrorum remiſſionem coeteraque

omnia

omnia beneficia paſſionis illius conſequamur. Hic autem offerimus, ac præſentamus tibi, o Domine nos ipſos animas noſtras, & corpora tibi hoſtiam rationalem Sanctam, & vivam ſubmiſſè rogantes, ut quotquot participes ſumus hujus Sanctæ comunionis, tua gratia, & celeſti benedictione repleamur, & quamquam indigni ſumus ob multiplicia peccata noſtra, qui tibi nullum ſacrificium offeramus, attamen te rogamus ſupplices, ut acceptum habeas hoc debitum obſequium ac hunc cultum noſtrum non intuendo merita noſtra, ſed condonando delicta per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem, & cum quo in unitate ſpiritus Sancti, tibi ſit, pater omnipotens, omnis honor, & gloria inſecula ſeculorum. Amen.

Aut hoc.

Omnipotens & æterne Deus ex animo tibi gratias agimus, quod nos, qui hæc ſancta myſteria rite percepimus, paſcere digneris ſpirituali cibo pretioſiſſimi Corporis, & Sanguinis filij tui Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, nobiſque gratiam ac favorem tuum erga nos eo pacto confirmas, quodque ſumus genuina membra filii tui myſtico corpori inſita, quod eſt benedicta omnium fidelium Eccleſia. Et quod ſpe ſumus etiam hæredes Regni tui ſempiterni, per merita prætioſiſſimæ mortis ac paſſionis filii tui dilectiſſimi. Summa autem cum animi demiſſione rogamus o Pater Cœleſti uti nobis gratia tua ſemper ita adſis, ut in ſancta tua Communione perſeveremus, & in omnibus iis bonis operibus, quæ tu preparaſti, ut in iis ambulemus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui una tecum, & cum ſpiritu Sancto, ſit omnis honor, & gloria, in ſecula ſeculorum Amen.

Deinde dicatur, aut cantetur.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, bona voluntas hominibus. Te laudamus, tibi benedicimus, te adoramus, te glorificamus; tibi gratias agimus propter ſummam gloriam tuam, Domine Deus Rex Cœli, Deus Pater omnipotens.

Domine fili unigenite Jeſu Chriſte, Domine Deus, Agnus Dei, filius patris qui tollis peccata mundi miſerere noſtri, qui tollis peccata mundi miſerere noſtri, qui tollis peccata mundi ſuſcipe orationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram Dei Patris miſerere noſtri.

Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus o Chriſte, cum ſpiritu Sancto altiſſimus in gloria Dei Patris amen.

Poſtremo Presbyter (aut Epiſcopus ſi adſit) Eccleſiam demittet cum hac benedictione.

Pax Dei, quæ ſuperat omnem intellectum ſervet corda veſtra; & mentes veſtras in cognitione, & amore Dei, & filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri: & favor omnipotentis Dei, Patris, filii, & ſpiritus Sancti, vobis adſit ſemperque vobiſcum maneat amen.

Collectæ poſt offertorium dicendæ, quando non celebratur comunio, quolibet die, una, aut altera, aut etiam plures Dici etiam poterunt pro data occaſione, poſt collectas matutinarum, aut Veſpertinarum præcum, communionis, aut Litaniæ, prout miniſtro videbitur.

Adeſto propitius Domine his noſtris ſupplicationibus, ac præcibus, & viam famulorum tuorum ad conſequendum vitam æternam dirige, ut inter omnes mortalis hujus vitæ mutationes; ac caſus, tuo ſemper clementiſſimo, ac præſentiſſimo auxilio protegantur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum amen.

Domine omnipotens, & æterne Deus corda, & corpora noſtra, quæſumus dirigere, Sanctificare, ac regere digneris, in viis legis tuæ & in operibus mandatorum tuorum: ut potentiſſima tua protectione cum corpore, tum animo hic, & in æternum tuti ſimus, per Jeſum Chriſtum Dominum & ſervatorem noſtrum amen.

Da queſumus omnipotens Deus, ut quæ verba hodie externis auribus audivimus, ea ſic cordibus noſtris per gratiam

tuam

tuam inſerantur, ut in nobis probæ vitæ fructum ſemper proferant, ad nominis tui honorem, ac laudem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum amen.

Actiones noſtras ſingulas Domine clementiſſimo tuo favore præveni, & perpetuo auxilio proſequere, ut in omnibus operibus noſtris in te inceptis, continuatis, & finitis Sanctum nomen tuum glorificemus, & tandem miſeratione tua vitam æternam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Omnipotens Deus fons omnis ſapientiæ, cui perſpecta eſt indigentia noſtra priuſquam petamus, & nota ignorantia noſtra dum petimus, infirmitates noſtras miſerere quæſumus, & quæ vel propter indignitatem noſtram non audemus, vel propter cœcitatem petere non valeamus, ea nobis largiri digneris per merita filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen.

Omnipotens Deus, qui pollicitus es te eorum preces exauditurum qui in filii tui nomine petituri ſunt, aures tuas nobis, qui orationes, & ſupplicationes noſtras, jam tibi obtulimus, propitius inclina, & da, ut quæ ſecundum voluntatem tuam vera fide petiimus revera impetremus ad indigentiæ noſtræ ſubſidium, & gloriæ tuæ patefactionem, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. Amen.

„ Diebus Dominicis aliiſque Diebus feriatis (ſi non ce-
„ lebratur Sacra communio) dicentur ea omnia quæ præſcri-
„ pta ſunt in officio pro ſacra Communione, uſque ad finem
„ præcationis illius Generalis (pro ſtatu proſpero Catho-
„ licæ Chriſti Eccleſiæ) atque una aut altera collectarum jam
„ memoratarum, quæ omnia concludet benedictio.

„ Non celebrabitur autem Cœna Domini, niſi adſit com-
„ municantium numerus competens ad communicandum cum
„ Presbytero pro ut ipſi viſum fuerit.

„ Quod ſi non ſint ſupra viginti in Parochia idonei ad
„ communicandum, non tamen celebrabitur Sacra communio,

„ niſi quatuor (aut ad minimum tres) cum Presbytero com-
„ municent.

„ In Cathedralibus autem aut collegivis Eccleſiis, aut
„ collegiis, ubi ſunt Presbyteri, & Diaconi complures,
„ communicabunt ſinguli una cum Presbytero, ad minimum
„ qualibet Dominica, niſi cauſam juſtam habeant ſecus fa-
„ ciendi.

„ Atque ut præcidatur omnis occaſio diſſentionis, &
„ ſuperſtitionis, quæ ſuboriri poſſet circa panem aut vinum,
„ ſatis erit ſi modo panis ſit vulgaris uſus, ſed lectiſſimus, &
„ ex meliore tritico confectus qui commode parari queat.

„ Quod ſi ſuperſit aliquid panis aut vini non conſecrati
„ panis aut viniquicquam ſuperſit, extra Eccleſiam non offe-
„ retur, quin Presbyter unacum aliis communicantibus, quos
„ tum advocabis, ſtatim à benedictione, illud reverenter co-
„ medet, & bibet.

„ Panem, & vinum parabunt Miniſter & Œconomi, ſum-
„ ptibus Parochiæ. Obſerva autem unicuique Parochianorum
„ ad minimum ter in anno communicandum: nominatim ve-
„ ro in feſto Paſchatis. Ac ſingulis annis quilibet Parochianus
„ cum Parocho, Vicario, aut Miniſtro & cum ejus eorum ve
„ Deputato; aut Deputatis rationes conferet, & ipſis ipſive
„ præſolvet omnia Eccleſiaſtica Debita, tum ſolvenda & ſolvi
„ ſolita.

„ Sacris peractis pecunia in offertorio erogata collocabi-
„ tur in pios uſus, à miniſtro, & Œconomis prout ipſis viſum
„ fuerit. quod ſi non fuerint concordes tum pro arbitrio ordi-
„ narii collocabitur.

„ quandoquidem in hoc officio pro adminiſtratione
„ Cœnæ Domini præſcribitur, ut communicantes illam ſu-
„ mant in genua provoluti (quod quidem recte præſcriptum
„ eſt, nempe ut hoc pacto ſubmiſſum, & gratum animum ſigni-
„ ficemus pro beneficiis Chriſti, quæ in ea omnibus digne

com-

„ communicantibus tribuuntur; atque ut ſic omnis abſit à ſa-
„ cra communione profanatio, & confuſio quæ alioqui oriri
„ poſſent) Attamen ne genuflectio illa à quoquam ſeu ex igno-
„ rantia, & infirmitate, ſeu ex malitia, & obſtinata per-
„ vicacia ſecus quam par eſt accipiatur, aut etiam depra-
„ vetur; hic declaramus, & omnibus notum facimus ea
„ genuflectione nullam adorationem deferri, aut deferri de-
„ bere pani aut vino Sacramentali, quæ ibi corporali-
„ ter accipiuntur, aut ulli præſentiæ corporali naturalis
„ carnis, aut Sanguinis Chriſti. Quippe panis Sacramen-
„ talis, & Sacramentale vinum manent in veris ſuis natura-
„ libus ſubſtantiis, ideoque non debent adorari, (id enim
„ idololatria foret, à qua fideles omnes chriſtiani abhorere
„ debent) & naturale Corpus, & Sanguinis Chriſti Servatoris
„ noſtri ſunt in Cœlo non autem hic; quandoquidem eſſe ſi-
„ mul, & ſemel inpluribus locis veritati corporis naturalis
„ Chriſti adverſatur. „

CAPUT V.

Liturgia Svecana proponitur.

EX quo Lutheraniſmus ſub Guſtavo I. opera duorum Fratrum Laurentii, & Olai Petri, qui Witembergæ Lutherum audierant, Svecanicam Eccleſiam infecit, quædam Liturgiæ addi, & ex ea detrahi cœpere, quæ Sectam Lutheranam ſaperent, at que poſt multas viciſſitudines, & variationes, tandem an. 1576. Stokolmiæ in fol. prodiit Liturgia Svecana Eccleſiæ Catholicæ, & orthodoxæ conformis, quam Cl. Petrus Lebrun diſſert. 13. art. 5. §. 2. edidit, eam nos ex hujus auctoris fide proponimus in hoc capitulo, ſic autem habet.

LITUR-

LITURGIA SVECANÆ ECCLESIÆ

Catholicæ & Orthodoxæ conformis.
Stokolmiæ 1576. *in fol.*

„ LAurentius Divina Providentia Archiepiſcopus Upſa-
„ lenſis, pio Lectori in Chriſto Donino ſalutem.

„ Duo ſunt omnino, Chriſtiane Lector, extrema, in
„ quorum labyrintos Chriſtianorum Religio per hominum
„ oſcitantiam incurrens miſerabili modo illaqueata degene-
„ rat. Homines enim ſuis cum indulgeant opinionibus, &
„ varia Scripturæ dicta, carnali judicio, ipſamque litteram
„ ſine ſpiritu, ut Apoſtolus loquitur, ſequantur, aut ſuper-
„ ſtitione aut prophanitate peccent, neceſſe eſt. In qua vero
„ periculoſius verſantur, haud facile eſt dictu, cum utraque à
„ recta via longius abductos in perniciem præcipitet, utraque
„ mentibus humanis infixa cum fuerit, adeo pertinax eſt, ut
„ facilius clavam, ut ajunt, e manu Herculis extorſerit, quam
„ vel ſuperſtitionem alte imbutam enim excutias, vel prophani-
„ tatis contrarium malum deleas. Superſtitio autem licet opi-
„ nionem ſanctitatis & pietatis in multis præter verbum Dei
„ ejuſque verum intellectum introducit, ac lucem veritatis
„ multipliciter offuſcat, hoc tamen retinet boni, ut á Dei ti-
„ more homines non abſtrahat, ſed magis magiſque miſeris
„ mortalibus tremorem incutiat.

„ Verum prophanitas quæ ſacra ut prophana reputat,
„ divina haud magni æſtimat, eo nomine nocentior eſt, quod
„ ab omni timore & obedientia ſacris rebus debita homines
„ avertens, in nefandam ſecuritatem conjiciat. Et quia contra
„ utramque tanquam contra ſævas beſtias Theologis pugnan-
„ dum eſt, anteceſſores noſtri, cum Religio Chriſtiana ſuper-
„ ſtitionibus plena eſſet, bellum illis magno animo indixere.

Sed

„ Sed vereor, ubi omnes ſuperſtitiones reprehenderint, dam-
„ naverint, ſuſtulerint, ne etiam cum jactura veræ pietatis id
„ effectum ſit, ac ſæveriori prophanitatis beſtiæ oves commiſe-
„ rint. Quid? Id ne igitur illis imputandum, qui, ut ab errori-
„ bus populum redimerent, injectos conſcientiis laqueos ſolve-
„ runt. humanas traditiones verbo Dei nequaquam æquipa-
„ randas amputarunt? Non uſque adeo puto. Sed vide, obſecro
„ quid præter bonorum omnium expectationem evenerit.
„ Dum Conſtitutiones de Confeſſione privata, de jejuniis, de
„ obſervatione dierum feſtorum, de prohibitione graduum
„ conſanquinitatis & affinitatis, ſimileſque Traditiones ut ni-
„ mis liberas laxarunt, mox ſequuta eſt tanta licentia, ut
„ quantumvis reclamas, nemo non ſibi neceſſum putet, ſuis
„ indulgere affectibus pluſquam ſanis admonitionibus. Hor-
„ taris ad confeſſionem, ut de vera converſione, cui ſoli de-
„ betur abſolutio, certo conſtet, vociferantur neminem eſſe
„ cogendum. Commendas jejunia, feruntur in contraria gulæ
„ placita. Vocas ſtatis diebus ad ſacra, reſpondent liberum eſſe
„ Chriſtianis quovis die quidvis agere. Diſſuades inceſtum,
„ contendunt Traditionibus homines non plus alligari in no-
„ vo quam in veteri Teſtamento. Quid multis? Fertur equis
„ auriga, ut ajunt, nec audit currus habenas. Quare ut Ante-
„ ceſſoribus noſtris contra ſuperſtitiones pugnandum fuit, ita
„ nobis cum ſæviore prophanitatis beſtia belligerandum eſt,
„ & quidem magno apparatu ac vigilantia ne tota veræ Re-
„ ligionis ſpecies aliquando extinguatur, & ne ſacrum Miniſte-
„ rium, ut ab Anabaptiſtis & Sacramenti contemtoribus, ita
„ & ab omnibus tandem contemnatur, dum libere & ut cui-
„ vis placuerit, vel ſacra tractent & adminiſtrent, vel audiant
„ & uſurpent.

„ Nec eſt quod vereamur, ſi exercitia pietatis utileſque
„ conſtitutiones, quibus olim fortaſſis aliquid ſuperſtitioſum
„ adhæſerit, in uſum reduxerimus, populum ad abolitas ſu-

perſti-

„ perſtitiones reverſurum. Nam & doctrina & vero uſu id ma-
„ li rectiſſima avertitur: quæ ſi ceſſaverint, in tantum nunc
„ animos occupavit prophanitas, ut non metuas quemquam ni-
„ mium fore devotum. Immo nihil minus vereare, quam pri-
„ ſtinos ſuperſtitionum errores populus recipiat, rapinis, hel-
„ luationibus, libidinibus, & aliis vitiis plurimis aſſuetus;
„ hæc ſiquidem cum illis ex diametro pugnant, & longe diffi-
„ cilius eſſe deprehendas, carnem à carnalibus operibus arce-
„ re, quam ſpiritum à ſpiritualibus. Homo enim carualis eſt,
„ & caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Si itaque magis Ec-
„ cleſiaſticæ diſciplinæ normis prædeceſſores noſtri peperciſ-
„ ſent, & Clerum & plebem majori pietati reſervaſſent. Ut
„ enim typus & forma plebis Clerus eſſe debeat, ita & Clerum
„ Canones rexerunt, quos cum ab omni ſuperſtitione purgaſ-
„ ſent, pietatis exercitia Sacerdotibus decora reliquiſſent.

„ Conſtat Apoſtolos eorumque diſcipu los conſuetudinem
„ certis diebus jejunandi, certiſque horis præcandi à majori-
„ bus acceptam obſervaſſe, quam ſumme neceſſariam eſſe &
„ utiliſſimam tum Chriſti præcepto tum ipſius exemplo, pro-
„ priaque neceſſitudinis edocti experientia teſtati ſunt. Qua
„ ergo fronte ejuſmodi Chriſtianæ vitæ regulas ab Eccleſia no-
„ bis traditas & commendatas repudiamus? An quia propter
„ falſam operis peracti fiduciam, univerſam pietatis operatio-
„ nem, ipſasque regulas deleviſſe oportuit? At dicat quis, norn
„ niſi ſpontaneam Deus adprobat pietatem. Reſpondeo. Exec-
„ citia pietatis ideo proponuntur, ut homines ea ſponte ſa-
„ quuntur, ne ſpontanea illa pietas aliquando oblivioni tr-
„ datur, imo ut ad illam homines pii magis magiſque aſſuefi-
„ ant. Sed quis eſt, qui humanum genus ſine ulla diſciplinæ
„ norma intra metas pietatis diu ſe retinuiſſe glorietur. Ipſo
„ facto fatentur, qui cum veteres Canones obiecerint, novas
„ ordinationes inſtituere coguntur, cæremoniis & vivendi re-
„ gulis Eccleſias carere non poſſe. Homines enim ſine præ-

ceptio-

„ ceptionibus admonitiones nudas facillime aures tranſvolare
„ permittunt, & non caſtigati fiunt ſecuri & athei, in quibus
„ poſtea inſtituendis, haud plus efficies, quam ſi ſurdo nar-
„ rares fabulam. Quapropter Patres & veteres Eccleſiarum
„ Antiſtites tam Clero quam plebi ſuas vivendi agendique
„ normas prudenter præſcripſerunt, ne vera pietate uterque
„ aliquando excideret. Quibus neglectis aut abolitis perpau-
„ ci nunc reperiuntur cum in Clero tum in plebe, qui jejunio-
„ rum, precum, caſtimoniæ & ſimilium pietatis operum exer-
„ citiis ultro ſe ſe devovent, ſine quibus tamen Chriſtiana ad-
„ modum friget Religio. Imo his piis actionibus omiſſis, ut
„ aliquid agant, diſcunt male agere, & contrariis aſſueſiant
„ vitiis, nempe helluationibus, maledictis, libidinibus, &
„ ſimilibus flagitiorum operibus.

„ Sed forte hic mihi aliquis objiciat dictum Chriſti ha-
„ bent Moſen & Prophetas, audiant illos; reſpondeo Lex &
„ Prophetæ, fateor, ad omnem pietatem excitandam, exer-
„ cendam atque conſervandam omnino ſufficerent. Sed quo-
„ niam ab eorum obedientia ſe liberatos ſuapte opinione ho-
„ mines gloriantur, & Legem & Prophetas uſque ad Johan-
„ nem interpretantur, ſpiritualem libertatem in carnalem
„ commutantes, nova quaſi diſciplina opus eſt, qua homines
„ ad veterum præceptorum obſervantiam redigantur. Non ut
„ peccatorum remiſſionem & vitam æternam hoc pacto impe-
„ trent, quæ credentibus in Chriſto gratis donentur; ſed ut Deo
„ obtemperent, & gratiam per Chriſtum impetratam retineant
„ Nam ſi juſtus, teſte Petro, vix ſalvabitur, impius & pecca-
„ tor ubi parebunt, & Divus Paulus inquit: Pietas ad omnia
„ prodeſt, promiſſionem habens præſentis & futuræ vitæ. Pie-
„ tatem vocat, quæ ex corde proficiſcitur, & per omnia
„ membra interiora & exteriora ſe ſe exerit, & convenienti-
„ bus concordantibuſque oris, oculorum, manuum, pedum-
„ que geſtibus declaratur, & in actiones pias erumpit. Nam

„ cujus hominis externa membra nullam pietatem oſtendunt
„ anne hujus cordi veram ineſſe pietatem recte dixeris? Ex
„ abundantia cordis profecto os loquitur, oculi torquentur,
„ manus pedeſque geſtiunt: magna ſiquidem pars pietatis in
„ cæremoniis ſita eſt, cum Deo non ſolum corde, ſed & ma-
„ nibus ac pedibus ſit ſerviendum. Unde D. Paulus hortatur
„ ut orantes puras levent manus.

„ Hos enim pietatis geſtus nimium neglectos, & cum illis
„ magnam pietatis portionem collapſam, ut Clerus primum
„ in uſum revocet, præſertim circa Sanctiſſimæ Cœnæ Domi-
„ ni adminiſtrationem, has commonefactiones de Orationibus
„ ac piis geſtibus Sacerdotibus celebraturis propoſuimus, ac
„ devotiorem Liturgiæ formam reſtituimus, ſemotis iis quæ
„ à vero Sacratiſſimæ Cœnæ uſu aliena videbantur, nil niſi glo-
„ riam Dei, debitaſque Deo gratiarum actiones & laudes quæ-
„ rentes, ut recordationem unici ſacrificii à Chriſto Domino
„ noſtro in Ara Crucis ſemel ad perpetuam generis humani
„ redemptionem peracti (cujus rei gratia ſacratiſſima Sacra-
„ menti hujus actio ab ipſo Filio De inſtituta eſt) Sacerdos po-
„ pulo imprimat vehementius, & ad reverentiam tanto Sacra-
„ mento dignam Clerum, quem plebs ut typum imitabitur,
„ omnes invitet.

„ Cum igitur ad reſiſtendum prophanationis ſanctiſſimæ
„ actionis hujus quam Sacramentarii (quorum contagione ne
„ inficiamur, & nobis Svecis à Gothis animadvertendum eſt)
„ in multis regionibus, proh dolor! ſpargunt hæ commonefa-
„ ctiones directæ ſint piis mentibus hoc ſtudium noſtrum gra-
„ tum eſſe debent. Et ut hanc noſtram operam dextre inter-
„ pretari velint, ac nullis quorumdam cavillationibus, qui
„ ſuas ſequatur opiniones, ſuſpiciones, & ſcrupuloſas contem-
„ plationes fidem adhibeant. Sed pietati conſervandæ & au-
„ gendæ nobiſcum ſumma diligentia & alacritate incumbant,
„ omnes ſedulo hortamur.

Sci-

„ Scimus enim non defuturos,qui hunc noſtrum conatum,
„ ut non Catholicum vel etiam haud Apoſtolicum diffamabunt.
„ Nam quis adeo felix extit unquam, ut omnibus ſatisfecerit
„ multi ſi quidem eo animo ſunt, ut nihil probent aut ferant,
„ niſi quod ipſorum contemplationi & ſingulari judicio con-
„ ſentaneum fuerit. Cum vero ſilentium omnibus nemo im.
„ ponere queat contenti ſimus, quod conatus noſter Sacra
„ Scriptura, & bonis rationibus non diſſentiam, quem ideo
„ non fore irritum in Domino recte ſperamus. Interim ſecuri
„ quid quiſque loquatur & judicet: parati tamen, ut D. Pe-
„ trus monet, ad recipiendum unicuique rationem poſcenti,
„ quod & in hac Præfatione breviter factum eſſe arbitramur.

„ Cujus rei gratia etiam ſcholia copioſe & abundanter in-
„ terjecta ſunt, ut lectorem imperitum & ambigentem eru-
„ diant, admoneantque, ne in alium ſenſum verba Textus ſi-
„ ve Latina, Sive Svetica forte diſtrahentibus obtemperet &
„ obſequatur. Videat quoque lector non eſſe novas Conſtitu-
„ tiones à Romanis Pontificibus ſolummodo excogitatas, ſed
„ ſapienti antiquitati & Ortodoxæ Eccleſiæ uſitatas, quæ non
„ ſuperſtitionibus, verum pietati ex animo, & gravi judicio
„ conveniens nihil omittit quod ad reverentiam erga Sacrum
„ Miniſterium pertinere judicabat. Hæc cum ita ſint, omnes
„ pios iterum atque iterum moneo, ut his acquieſcant, gau-
„ deantque nos Svecos hoc modo veteri Orthodoxæ & Catho.
„ licæ Eccleſiæ Dei, quantum fieri poteſt, in tanta Chriſtia-
„ næ Religionis perturbatione, noſtrique ſæculi errore, con-
„ formes ſtatui; ac promotioni pietatis locum dent, eamque ſua
„ quiſque loco adjuvet, & perpetuo conſervet. Vale Chriſtia-
„ ne lector.

„ Commonefactiones de Orationibus ante Miſſæ initium
„ à Sacerdote celebraturo dicendis.

„ De præparatione Sacerdotis pro opportunitate ipſius
„ facienda, antequam ad Altare accedat.

„ Cum divina & tremenda ſint Myſteria Sacroſanctæ Eu-
„ chariſtiæ , Sacerdos celebraturus aliquantum temporis tri-
„ buat piis Orationibus , quibus ſe ad tanti Sacramenti Mini-
„ ſterium peragendum præparabit . Pro opportunitate igitur
„ temporis , vel domi ſuæ , vel in Templo , ſeu loco ubi ce-
„ lebraturus eſt , & ſequentes dicat Pſalmos & orationes. „

Ex Pſal. LXVI. Introibo in domum tuam Domine, in holocauſtis , reddam tibi vota mea .

Antiphona . Ne reminiſcaris , Domine , delicta noſtra vel parentum noſtrorum , neque vindictam ſumas de peccatis noſtris .

Deinde dicuntur ſequentes Pſalmi .

Pſal. 84. Dilecta tabernacula &c. Pſal. 85. Benedixiſti Domine &c. Pſal. 86. Inclina Domine aurem tuam &c.

Pſal 116. Credidi propter quod &c. Pſal. 120. Deprofundis clamavi &c.

Pſalmis lectis repetitur Antiphona . Ne reminiſcaris &c. *Deinde dicat Sacerdos* : Kyrie eleiſon , Chriſte eleiſon , Kyrie eleiſon . Pater noſter, &c.

Poſtea ſubjicit ſequentes verſiculos , qui digni ſunt ut omni momento , omnium in ore & corde verſentur . Ego dixi , Domine miſerere mei , ſana animam meam , quia peccavi tibi .

Sequuntur Orationes ad Deum , ut Spiritu Sancto corda noſtra renovet , vivificet , & ſanctificet .

Digna memoria eſt vox Eccleſiæ , quæ auditorem admonet , non ſolum de naturæ noſtræ cæcitate & infirmitate , ſed etiam de neceſſaria gubernatione Spiritus Sancti . Sic enim Eccleſia in quodam hymno de Spiritu Sancto canit : Sine tuo numine , nihil eſt in homine , nihil eſt innoxium . Hanc vocem ita nobis ſubjiciamus , atque apud animum proponamus , ut ſemper ſonet in auribus noſtris , & nunquam non , etiam aliud agentibus , occurrat . Siquidem crebra hujus ſententiæ repetitione & meditatione illud efficiemus atque aſſequemur , ut &

miſe-

miſeriam naturæ noſtræ cognoſcamus, & à Deo ardentibus votis petamus, ut Spiritus ipſius bonus nos ut errantes oviculas in viam rectam ducat, vivificet, & ſanctificet.

I. Aures tuæ pietatis mitiſſime Deus inclina precibus noſtris, &c. II. Deus cui omne cor patet, &c.

III. Ure igne Sancti Spiritus, &c.

IV. Mentes noſtras, &c. V. Adſit nobis, &c.

VI. Deus, qui corda fidelium, &c.

VII. Conſcitenias noſtras, quæſumus, viſitando purifica, ut veniens D. N. J. C. &c.

Sequuntur Orationes dicendæ, cum celebraturus induitur ſacris paramentis.

Exve me, Domine, veterem hominem cum moribus & actibus ſuis; & induat me novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.

Cum lavat manus: Largire nobis Domine, ut ſicut abluuntur, &c.

AD AMICTUM. Caput meum, humeros meos, & pectum meum Domine, Spiritus Sancti gratia protege tibi ad ſerviendum Deo viventi & regnanti in ſæcula.

AD ALBAM. Dealba me Domine & munda cor meum, ut in ſanguine Agni mundatus gaudiis perfruar ſempiternis.

AD CINGULUM. Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & caſtitatis.

AD MANIPULUM (*a*). Merear domine in lacrymis ſeminare, ut te propitiante cum exultatione metam & portem manipulos meos. (*b*)

AD STOLAM. Stola juſtitiæ & immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, circunda Domine cervi-

(a) *Ad Stolam Brachialem.*

(b) *Manipulum fletus alludit ad Pſ.* 125. *qui per has gnomas conſolatorias concluditur: Qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent, &c.*

cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

AD TUNICAM ET DALMATICAM. Indue me Domine veſtimento ſalutis & lætitiæ, & indumento juſtitiæ circumda me ſemper.

AD PLANETAM SEU CASULAM. Indue me Domine ornamento humilitatis, caritatis, & pacis, ut undique munitus virtutibus poſſim reſiſtere vitiis & hoſtibus mentis & corporis.

AD MITRAM. Galeam ſalutis Domine impone capiti meo, ut contra antiqui hoſtis omniumque inimicorum meorum inſidias inoffenſus evadam.

Liturgia seu Ordo Cæremoniarum, Orationum, et Lectionum in celebratione Missæ.

I.

„ SAcerdos omnibus paramentis ſeu veſtimentis Eccleſiaſti-
„ cis indutus reverenter accedit ad Altare, ibique primum
„ in medio Altaris expandit Corporale, & ſuper illud Calicem
„ velo coopertum ſiſtit. Deinde recumbit in genua, & ſignans
„ ſe ſigno Crucis clara voce dicit. „

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde junctis manibus ante pectus dicens. Introibo ad Altare Dei.

Miniſtri adſtantes, vel ipſe ſolus, ſi Miniſtri non adfuerint, proſequitur omnia. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Poſtea alternatim cum Miniſtris dicit ſequentem Pſalmum 42. Judica me Deus..... Quia tu es Deus..... Emitte lucem tuam..... Et introibo ad altare Dei, ad Deum (gaudii mei & exultationis meæ) qui lætificat juventutem meam. Confitebor..... Spera..... Gloria Patri, &c.

Repetit deinde Antiphonam. Introibo ad Altare Dei. ℟. Ad Deum qui lætificat..... *Poſtea ſubjungit.* ℣. Adjutorium noſtrum..... ℟. Qui fecit cælum & terram.

Deinde junctis manibus capite demiſſo generalem Confeſſio-

nem

nem facit ut ſequitur: Confiteor Deo omnipotenti, & vobis, fratres, quod peccaverim nimis in vita mea, cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea maxima culpa: Ideo precor vos orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

Miniſtri Reſpondent. Miſereatur tui omnipotens Deus, & remiſſis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

Sacerdos dicit; Amen.

Si non adfuerint Miniſtri, qui reſpondere poſſint, Sacerdos omnia ſolus exequitur, & confeſſionem ita dicit.

Confiteor tibi Deo Patri omnipotenti me miſerum peccatorem in peccatis conceptum & natum, nimis peccaſſe in vita mea, cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: Ideo precor propter dilectiſſimum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui pro nobis victima factus eſt, miſerearis mei, & remiſſis omnibus peccatis meis, perducas me ad vitam æternam. Amen.

Inſuper dicit. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Inclinatur proſequitur. ℣. Deus tu converſus vivificabis nos. ℟. Et plebs tua lætabitur in te. ℣. Oſtende nobis, &c. ℟. Et ſalutare &c. Domine exaudi, &c.

Aſcendens ad altare dicit. Aufer à nobis quæſumus Domine cunctas iniquitates noſtras, ut ad Sanctam Sanctorum puris poſſimus mentibus introire. Per Chriſtum, &c.

Interdum ſequentem confeſſionem pubblicam & generalem Sacerdos converſus ad populum clara & intelligibili voce dicet.

EXORTATIO.

Dilecti in Chriſto Jeſu amici, fratres & ſorores, quia in præſenti convenimus ad Cœnæ Dominicæ celebrationem, & ad Sanctiſſimi Corporis & Sanguinis D.N.J.C. perceptionem, prout ipſe eam inſtituit & ordinavit in memoriam & recordationem, quod idem Corpus & eundem Sanguinem ſuum in peccatorum noſtro-

noſtrorum remiſſionem tradiderit. Itaque cum omnes nos abſque dubio peccatis onerati ſimus, quibus liberari ex animo cupiamus, procumbentes in genua humiliamus nos corde & ore coram Deo Patre noſtro cæleſti, nos miſeros peccatores uti & ſumus, eſſe confiteamur, & petamus ab eo gratiam & miſericordiam ipſius, ſinguli ſuo loco dicentes.

CONFESSIO.

Miſer ego peccator, qui in peccato conceptus & natus, toto vitæ meæ tempore vitam vixi peccatis contaminatam; agnoſco & coram te omnipotens, æterne Deus Pater cæleſtis, ſerio & ex animo fateor, me non dilexiſſe te præ omnibus, nec proximum ac me ipſum. Multis (proh dolor!) modis tua tranſgreſſus ſum mandata, te offenderam cogitatione, verbo, & opere. Qua de cauſa interitum & exitium æquiſſimo tuo judicio me mihi accerſiviſſe ſcio, ſi me pro ratione tuæ juſtitiæ, & meorum peccatorum merito judicare debeas.

Sed promiſiſti, o Pater cæleſtis, te in gratiam recepturum omnes miſeros peccatores ſe ſe convertentes, & vera fide ad immenſam miſericordiam tuam confugientes, & quæcumque offanſa quantumvis enormia illis condonaturum, nec unquam illis imputaturum. Hac remiſer ego peccator nitens, fidenter te oro, ut juxta tuam eam remiſſionem mei miſertus, mihique propitius, omnia mea mihi peccata remittas, ad ſancti nominis tui laudem & gloriam.

Poſtea recitat Sacerdos hanc precationem.

Omnipotens ſempiterne Deus ex immenſa ſua miſericordia remiſſis omnibus peccatis noſtris, nobis largiatur gratiam, ut vitam noſtram vera reſipiſcentia emendemus, & cum eo in omnem æternitatem vivamus.

II. INTROITUS

„ Confeſſionem ſequitur Introitus, qualis in libro Gra-
„ dualium & Latine, & Vulgari in lingua ſtatis aſſignatur tem-
„ poribus. In Eccleſiis vero ruralibus, poteſt pro Introitu La-

tino

„ tino cantari Pſalmos aliquis linguæ vulgaris, qui ad ratio-
„ nem temporis vel feſti proxime accedere videtur. „

III. KYRIE ELEISON.

Poſt Introitum dicuntur preces Kyrie eleiſon, *cum hymno Angelico & reliqua glorificatione ei adjuncta.*

Kyrie eleiſon, Chriſte, eleiſon Kyrie eleiſon.

Gloria in excelſis Deo..... Domine Fili unigenite, ſalus noſtra, Jeſu Chriſte, & Sancte Spiritus. Deus Agnus Dei... Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

IV. „ PoſteaSacerdos verſus ad populum dicit ſalutationem,
„ ut attenti reddantur auditores, & admoneantur, ut memi-
„ nerint ſacra publica concordibus votis eſſe peragenda. Unde
„ & populus conſenſum ſuum declaraturus per Chorum re-
„ ſpondet: „ Et cum ſpiritu tuo.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

V. „ Salutationi ſubjicitur Collecta ſequens, vel alia de Fe-
„ ſto ſeu Dominica, quam exibent Gradualia. Una autem re-
„ citatur, niſi temporis neceſſitas pro ſui ratione & conditione
„ depoſcat & alias. „

Oremus. Largire nobis, quæſumus, omnipotens ſempiterne Deus acquieſcentem in te filioque tuo Jeſu Chriſte fiduciam, certam ſpem nitentem tua miſericordia omnibus noſtris in neceſſitatibus & adverſis, & ardentem dilectionem erga proximum. Per eundem Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

ALIA COLLECTA.

Deus noſtrum refugium & virtus, &c.

VI. *Poſt Collectam Sacerdos verſus ad populum legit Epiſtolam Dominicæ vel diei feſti, cujus lectionis initium hoc eſt poteſt:* Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Romanos, ad Corinthios, &c.

VII. „ Epiſtolam ſequitur reſponſorium, quod uſitate vo-

„ catur Graduale. Item *Alleluja*, cum utriuſque verſibus &
„ Tractu, &c. Interdum piæ ſequentiæ cantantur, ut in die-
„ bus Nativitatis Chriſti, Epiphaniorum, Paſchæ, Aſcenſionis,
„ Pentecoſtes, & Trinitatis, & quorum uſus eſſe ſolet in Do-
„ minicis: item nonnullæ aliæ prout temporis ratio id fieri per-
„ mittat. Interdum loco Latini Reſponſorii, canitur Pſal-
„ mus aliquis linguæ vulgaris, qui ad rationem feſti vel tem-
„ poris proxime accedere videatur. Quæ omnia exhibet liber
„ Gradualium. „

VIII. *Deinde cantatur vel legitur Evangelium*, quale fuerit ſtatutis temporibus *ſive diebus Dominicis, ſive feſtis, &c. initium vero erit hoc modo*: Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Mattheum, &c.

IX. *Lectionem Evangelii proxime ſequitur Symbolum vel Apoſtolicum vel nicœnum.*

Apoſtolicum: Credo in unum Deum Patrem ..... deſcendit ad inferna, &c.

„ Symbolum Nicœnum ſeu Conſtantinopolitanum ea
„ verborum forma, qua Synodus Conſtantinopolitano prima,
„ Oecumenica ſecunda illud anno Chriſti 385. additis quibuſ-
„ dam verbis, & illuſtrato Articulo de Spiritu Sancto repeti-
„ vit ac confirmavit. „

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem Factorem.... Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit..... Et vitam futuri ſæculi. Amen.

X. „ Precatio ad Spiritum Sanctum, in qua petuntur dona
„ ſeu effectus Spiritus Sancti, vera Dei agnitio, fides, invoca-
„ tio, vera dilectio, obedientia, & lætitia acquieſcens in
„ Deo. „

Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accande, qui per diverſitatem linguarum cunctarum, gentes in unitate Fidei congregaſti. Alleluja.

SACRA CONCIO.

ALTERA PARS MISSÆ.

I.

„ FInita Concione, ſi omittitur pubblica Eccleſiæ precatio „ quæ Litania dicitur, concionator ex ſugeſtu incipit „ Pſalmum aliquem in vulgari lingua, qui ad rationem feſti, „ temporis, vel Evangelii, ſeu declaratæ materiæ, maxime „ accedere videatur. Interdum etiam ad Pſalmum adjicitur, „ cui nomen Offertorii datum eſt. Interea vero dum Pſalmus „ & Offertorium canitur, ad ſacrum uſum deſtinatis elemen- „ tis pane & vino, ut decet, & appoſitis & præparatis, cele- „ brans ad cornu Epiſtolæ, Miniſtro aquam fundente, lavat „ manus ex Pſalmo xxv. ſequentes verſus ſecum repetens, qui- „ bus de vera pœnitentiæ & pietatis fructibus admonetur. „

Lavabo in innocentia manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine: ut audiam vocem laudis, &c.

Deinde dicit ſequentes Orationes.

OREMUS.

Omnipotens æterne Deus, Pater cæleſtis, qui nobis Spiritum gratiæ & precum promiſiſti, largire nobis quæſumus, ut te ad mandatum & promiſſionem tuam in ſpiritu & veritate invocemur: dirigat corda noſtra tuæ miſerationis operatio, quia tibi ſine te placere non poſſumus.

Proſequitur. Te igitur clementiſſime Pater per J. C. Filium tuum D. N. ſupplices rogamus ac petimus, ut preces noſtras acceptas habere, eaſque exaudire digneris, in primis quas tibi offerimus, pro Eccleſia tua ſancta Catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum omni Magiſtratu Eccleſiaſtico & politico, cujuſcumque dignitatis, præeminentiæ, & nominis ſint, & om-

nibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus.

Subjicit. Domine Deus, qui voluiſti miſericordiæ tuæ erga nos certiſſimum pignus eſſe ſacroſanctam & venerandam Filii tui Cœnam: excita noſtras mentes, qui hanc ipſius Cœnam celebramus, ad ſalutarem beneficiorum tuorum recordationem, ad veram & perpetuam gratitudinem, ad gloriam & laudem nominis tui, juvato nos tuos miniſtros, & tuum populum, ut memores ſanctæ illius, puræ immaculatæ, & ſalutaris Filii tui Hoſtiæ pro nobis in Ara Crucis peractæ, tantum novi Teſtamenti & æterni fœderis Miſterium digne peragamus. Benedic & ſanctifica Spiritus tui Sancti virtute propoſita, & ſacro uſui deſtinata, panem & vinum, ut in vero uſu nobis ſint Corpus & Sanguis dilectiſſimi Filii tui, alimenta æternæ vitæ, quæ ſummo deſiderio expectamus & quærimus. Per eundem D. N. J. C. Filium tuum, &c.

II. „ His precibus dictis, Sacerdos ad medium Altaris ambabus manibus hinc inde ſuper eo poſitis, dicit Præfationem cui adjuncta ſunt verba Teſtamenti ſeu Inſtitutionis Cœnæ Domini, & Doxologia ſeu glorificatio illa in Prefationibus uſitata. „

I. PRÆFATIO.

„ In die Nativitatis Domini cujus Præfationis uſus etiam eſt ab eo die uſque ad feſtum Epiphaniorum. Item in die Purificationis B. M. Virginis. „

℣. Dominus Vobiſcum.
℟. Et cum ſpirtu tuo.
℣. Surſum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro.
℟. Dignum & juſtum eſt.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens,

potens, æterne Deus pro univerſis beneficiis tuis, ſed in hac potiſſimum die, quia per Incarnati Verbi Myſterium nova mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis infulſit, ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur. Qui ne unquam beneficiorum ipſius obliviſceremur, in ea nocte qua tradebatur, dumque cœnaret, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, reſpexit in cælum ad te ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit Diſcipulis ſuis dicens: Accipite & comedite: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis traditur. Hoc facite in mei commemorationem.

Elevatio fit.

Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accepit Calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, reſplexit in cælum ad te ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, tibi gratias agens, benedixit, dedit Diſcipulis ſuis dicens, Accipite & bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite quotieſcunque biberitis in mei commemorationem.

Elevatio fit.

Qua facta laudes ſubjiciuntur ſequentes: Et ideo cum Angelis & Archangelis.....ſine fine dicentes.....

His finitis dicitur ſequens hymnus, qui vocatur Græcis Triſagion: Sanctus, Sanctus....Zebaoth..... in excelſis Benedictus qui venit.... Oſianna in excelſis.

II. „ Præfatio in die Epiphaniorum Domini & per Octavam „ quæ eſt Dominica Chriſti amiſſi à Matre in duodecimo Paſcate. „

℣. Dominus vobiſcum.....Æterne Deus pro univerſis beneficiis tuis, & potiſſimum, quia cum unigenitus tuus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, nova nos immortalitatis ſuæ luce reparavit.

Qui & nunquam beneficiorum ipſius obliviſceremur, in ea nocte, &c. *ut ſupra.*

Præ-

III. *Præſatio in die Annunciationis, ceteriſque feſtis B. M. V.*

Dominus vobiſcum. . . . Et te in feſtivitate B. M. ſepmer Virginis collaudare. . . . . Dominum noſtrum . . . . .

Qui & unquam . . . . In meam commemorationem.

Quapropter per eundem Filium tuum J. C. Dominum noſtrum Majeſtatem tuam laudant Angeli . . . . *ut ſupra*.

IV. „ Præfatio in Dominica Paſſionis Domini, in Domini- „ ca Palmarum, in feria V. in Cœna Domini, in feria VI. Pœ- „ noſa ſeu Paſſionis Domini. „

Dominus vobiſcum . . . . . in ligno quoque vinceretur per Chriſtum Dominum noſtrum.

Qui & ne unquam, *ut ſupra*.

V. „ Præfatio à die Paſchæ uſque ad Octavam, & in Domi- „ nicis uſque ad Aſcenſionem, & in diebus feſtis eo tempore „ occurrentibus, niſi propria in feſtis aſſignatur. In die Paſc hæ „ uſque ad Dominicam in Albis excluſive dicitur, „ In hoc potiſſimum die. *Deinceps dicitur*, In hoc potiſſimum tempore.

Dominus vobiſcum . . . . Et vitam reſurgendo reparavit.

Qui & ne unquam, *ut ſupra*.

VI. „ Præfatio à die Aſcenſionis Domini in Cælum uſque „ ad diem Pentecoſtes excluſive, & in feſtis tunc occurrenti- „ bus. „

Dominus vobiſcum . . . . Ut nos divinitatis tribueret eſſe participes.

Qui & ne unquam . . . . *ut ſupra*.

VII. „ Prefatio in die Pentecoſtes uſque ad diem Trini- „ tatis. „

Dominus vobiſcum . . . . in filios adoptiones effudit.

Qui & ne unquam . . . . . *ut ſupra*.

„ VIII. Præfatio in feſto S. individuæ, & adorandæ Tri- „ nitatis. „

Dominus vobiſcum . . . . . Et in Majeſtate adoretur æqualitas per Chriſtum Dominum noſtrum.

Qui

Qui & ne unquam . . . . . *ut ſupra* .

IX. „ Præfatio quotidiana & Dominicalis, eaque duplex, „ altera prolixior, brevior altera.

„ Forma Præfationis quotidianæ prolixior, quæ etiam di- „ ci poteſt diebus feſtis propriam præfationem non haben- „ tibus. „

Dominus vobiſcum . . . . Æterne Deus pro univerſis beneficiis tuis.

Et potiſſimum, quia cum per peccatum eo redacti eſſemus ut nos præter interitum & æternam mortem nihil maneret, nec creatura ulla vel in cælo vel in terra ſubvenire poſſet; emiſiſti Unigenitum Filium tuum J. C. ejuſdem divinæ tecum naturæ, ut pro nobis homo factus peccata noſtra lueret, mortemque ſubiret, ubi nobis in æternum moriendum erat. Qui quidem ut evicta morte in vitam reſurrexit, nec poſt hac unquam amplius morietur ita omnes in ipſum credentes conſtituti victores peccati & mortis, & hæredes vitæ æternæ per eum.

Qui & ne unquam . . . . in mei commemorationem. Quapropter per eundem . . . . *ut ſupra*.

Altera forma brevior.

℣. Dominus vobiſcum . . . . Vere dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum.

Qui & ne unquam . . . . In mei commemorationem. Quapropter per eundem Filium . . . . *ut ſupra*.

„ Dum Chorus canit hymnus *Sanctus*, Celebrans ſe- „ quentem legit Orationem. Quam autem legendo ſacra pera- „ guntur Liturgiæ Officia, Oratio illa continua lectione hym- „ no ſubjicitur. „

Memores igitur & nos Domine ſalutaris hujus mandati, & tam beatæ paſſionis & mortis, nec non ex mortuis Reſurrectionis, ſed & in cælos Aſcenſionis ejuſdem Filii tui D. N. J. C.

quem

quem immenſa tua miſericordia nobis donaſti & dediſti, ut victima pro peccatis noſtris fieret, & una ſui oblatione in Cruce ſolveret tibi pro nobis pretium Redemtionis noſtræ, & juſtitiæ tuæ ſatisfaceret, & impleret ſacrificium profuturum electis ad finem uſque mundi. Eundem Filium tuum, ejusdem mortem & oblationem, Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, propitiationem, ſcutum, & umbraculum noſtrum contra iram tuam, contra terrorem peccati & mortis, nobis propoſitum fide amplectimur, tuæque præclaræ Majeſtati tuæ humillimis noſtris precibus offerimus. Pro tantis tuis beneficiis, pro cordis affectu, & clara voce gratias agentes, non quantum debemus, ſed quantum poſſumus.

Et ſupplices te per eundem Filium tuum unicum interceſſorem noſtrum in arcano conſilio divinitatis à te conſtitutum D. N. J. C. rogantes, ut propitio ac ſereno vultu ad nos noſtraſque preces reſpicere digneris, eaſque in cæleſte Altare tuum in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ ſuſcipias, gratas & acceptas clementer habeas, faciaſque ut quotquot ex hac Altaris participatione benedictum & ſanctificatum cibum & potum, panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ Sacramentum Filii tui Corpus, & pretioſum ejus Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur.

Nobis quoque peccatoribus de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem habere digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus, & omnibus Sanctis tuis. Intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti ſed veniæ quæſumus largitor admitte, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Per quem Domine omnia bona ſemper creas, ſanctificas, vivificas, benedicas & præſtas nobis. Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, ſit tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti, omnis honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

,: Hymno

III.

„ Hymno Triſagio & precatione præcedente finitis, Ce-
„ lebrans Orationem dicit Dominicam.

OREMUS.

Præceptis ſalutaribus moniti .... Sed libera nos a malo.
℟. Amen.

„ Cum divina Officia legendo peraguntur, Orationi Do-
„ minicæ ſubjicitur hæc Præcatio.

Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris. Da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

IV.

Salutatio cum converſione ad Populum.

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.
Et cum ſpiritu tuo.

„ Deinde ſi neceſſum fuerit, & temporis ratio ferat, Ce-
„ lebrans converſus ad populum, hanc adhortationem de ve-
„ ra preparatione ad Communionem facienda recitat „.

Dilecti in Chriſto. Cum in præſentia celebratur Cœna D. N. J. C. ut diſpenſetur venerandum Corpus & pretioſus Sanguis ipſius, conſultiſſimum eſt ut juxta doctrinam B. Pauli Apoſtoli, omnes & ſinguli nos ipſos probemus, atque ita de Pane illo edamus, & de Calice illo bibamus. Ita autem recte nos probemus, cum conſideramus delicta & peccata noſtra, & dolemus nos Deum offendiſſe, ac propterea juſtitiam & remiſſionem peccatorum nobis in hoc Sacramento propoſitam eſurimus & ſitimus, & conſtitutum habemus nos emendare, à peccatis deſiſtere, vitamque vivere novam & juſtam. Eam namque ob cauſam Dominus noſter potiſſimum præcepit, ut hoc Sacramento utamur in ipſius memoriam, hoc eſt, ut venerandæ ipſius mortis & effuſi Sanguinis pia meditatione recorde-

mur, & firmiſſime credamus ac ſtatuamus id in remiſſionem peccatorum noſtrorum factum eſſe. Quare ſi nos ex Pane & Calice illo edimus & bibimus, fide ſcilicet firmiter nitente verbis illis quæ hic audimus, quod Chriſtus mortuus, & Sanguis ipſius effuſus ſit pro peccatis noſtris certo & nos conſequimur remiſſionem peccatorum: atque ita evitamus mortem, peccati ſtipendium, & cum Chriſto adipiſcimur vitam æternam. Quam nobis omnibus concedat & largiatur omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Ante diſpenſationem & Communionem Sacramenti hæc Oratio dicitur.

Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi Salvator mundi, verus Deus & homo; libera nos per hoc ſacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus noſtris & univerſis malis, & fac nos ſemper tuis obedire mandatis, & à miſericordia tua nunquam in æternum ſeparari permittas. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia Oratio.

Perceptio Corporis & Sanguinis tui, Domine, quod nos indigni ſumere præſumimus, non perveniat nobis in judicium & condemnationem; ſed pro tua pietate proſit nobis ad tutamen mentis & corporis, & medelam percipiendam. Qui vivis &c.

V. „ Sacerdos junctis manibus ante pectus & capite in-
„ clinato dicit præconium Baptiſtae, ut ſequitur „.

Agnus Dei qui tollis .... Agnus Dei .... Agnus Dei ..... Dona nobis pacem.

„ Cum Sacerdos porrigit communicantibus Corpus Do-
„ mini, dicit „.

Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.

„ Reſpondet communicans „: Amen.

„ Cum Calicem diſtribuit, dicit „. Sanguis D. N. J. C. cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.

„ Re-

„ Reſpondet communicans „. Amen.

„ Celebrans ipſe communicaturus, ſumpto in manibus benedicto & ſanctificato Pane, reverenter genuflectit dicens „.

Panem cæleſtem accipiam & nomen Domini invocabo.

„ Deinde ter dicit „: Domine non ſum dignus, ut intres, &c.

„ Sumpturus dicit „. Corpus D. N. J. C. &c.

„ Sumpto Corpore Chriſti, junctis manibus, cogitatio-
„ nes occupatas habet in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti,
„ ut nobis uſus ejus ſalutaris eſſe poſſit. Deinde accepturus Ca-
„ licem in manus, reverenter genuflectit dicens „.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ.....ſalvus ero.

„ Participans de Calice dicit „.

Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.

„ Poſtea ſecum dicit „: Quod ore ſumpſimus, Domine, pura mente capiamus, & fiat nobis remedium ſempiternum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

„ Deinde infundit parum vini in calicem, quod ubi ebi-
„ bit, ſecum dicit „: Corpus tuum Domine quod ſumpſimus, & Sanguis quem potavimus, adhæreat viſceribus animæ noſtræ; & præſta omnipotens Deus, ut in nobis non remaneat ulla ſcelerum macula, quos tua pura & ſancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis, &c.

„ Interea dum Communionis actio celebratur, Chorus
„ continuat cantum. Cantari autem, ut plurimum, ſub Com-
„ munione ſolet, Canticum Precationis pro pace, *forlan vits*
„ *guds &c.* Cioè o Dio, donateci &c. Interdum cum plures
„ communicantes adſunt, nonnullæ aliæ cantiones præſenti
„ actioni congruentes adduntur. Rectiſſime autem hic cani-
„ tur Reſponſorium: *Diſcubuit Jeſus, &c.* eo quod in hac
„ cantione ipſa Sacramenti inſtitutio commemoratur. Item
„ Antiphona illa „ O ſacrum convivium, &c.

VI. „ Communione peracta, Sacerdos converſus ad Po-
„ pulum dicit „.

℣. Dominus vobiſcum.

℞. Et cum ſpiritu tuo.

VII. „ Deinde dicit unam aut alteram ex ſequentibus „ Collectis, quas vocant Complendas, in quibus Sacerdos „ gratias agit Deo propter acceptam Communionem Corporis „ & Sanguinis Domini non per ſe ſolum, ſed etiam pro „ ceteris „.

OREMUS.

Gratias agimus tibi omnipotens ſempiterne Pater, qui ſanctam, & ſalutarem hanc Cœnam per Filium tuum Jeſum Chriſtum noſtri cauſa inſtituiſti. Concede item nobis, quæſumus; eam ita in tui memoriam celebrare, ut intelligamus & recolamus, quid noſtri cauſa præſtiteris. Per eundem Filium tuum D.N.J.C. &c. ℞. Amen.

Alia.

Sacrorum Myſteriorum tuorum, Domine omnipotens Deus, participes facti; da quæſumus, ut tecum, & cum omnibus electis tuis Sanctis æternæ tuæ gloriæ conſortes fiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater cæleſtis, qui tuam nobis ſemper exhibueras bonitatem & miſericordiam: tribue nobis, quæſumus, ut tua gratia, ita Sanctis tuis Sacramentis utamur ac fruamur, ut & ſpiritualia nobis in illis propoſita accipiamus, & à tua nunquam laude ceſſemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia.

Gratias tibi referimus omnipotens Deus, ſalutaribus muneribus vegetati, tuam miſericordiam deprecantes, ut eorum participatio nobis ad fidei noſtræ, & ardentis dilectionis erga proximum proficiat augmentum. Per Chriſtum, &c.

Alia.

O Pie Jeſu Chriſte qui nos ad hanc Cœnam vocaſti, tibi

toto

toto pectore gratias agimus, quod ad eam & intellectum & voluntatem noſtram direxeris. Gratias item tuæ clementiæ referimus, fide & charitate illuminati, te ipſo ſatiati, tua divinitate repleti & circumdati. O dilecte Jeſu, mane nobiſcum: in manus enim tuas nos commendamus, confidentes tecum nos in vitam æternam manſuros. Amen.

VIII. „ Orationibus dictis, Celebrans vertit ſe ad populum, & dicit„.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

„ Conſiſtens ita verſa ad populum facie, dicit„.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

„ Poſtremo converſus ad Altare dicit ſolemnem Orationem quæ extat„, Deus refugium, &c.

Inclinantes corda veſtra ad Deum ſuſcipite benedictionem.

Benedicat nos Dominus & cuſtodiat nos: Oſtendat Dominus faciem ſuam nobis, & miſereatur noſtri: Convertat Dominus vultum ſuum ad nos, det nobis æternam pacem. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

„ Chorus ſeu Miniſter reſpondet„. Amen.

Stocholmiæ excudebat Torbernus Tidemanni, anno 1576.

CAPUT VI.

Exceptiones Generales, quibus recenſitæ Liturgiæ illegittimæ demonſtrantur.

OPus in immenſum creſceret, ſi ſingulas formulas Cœnæ Euchariſticæ, quas Novatores variis in locis, ac variis temporibus compoſuere heic proferrem, vel ſi hiſtoriam Sacramentariam pertexam; ex quo enim terminos a Patribus conſtitutos tranſgreſſi ſunt, ac libertatem in Liturgias ſibi arrogarunt, veluti arundines vento àgitatæ, numquam ſibi ipſis conſtare

ſtare potuere, & modo hanc, modo illam formulam probarunt, atque ad eam doctrinam, quam cuique Spiritus privatus ſugeſſit, Liturgicas exegerunt formulas; Itaque præcipuas quaſdam eorum formulas ſincera fide relatas illegittimas eſſe demonſtrandum adgredior; ne autem diſputatio omnis incerta ſit & interminabilis, quædam conſtituenda ſunt principia, quæ ipſis nobiſcum communia ſunt; quibus, quæ in controverſiam veniunt, aſſenſionem faciamus.

Cum ergo Liturgia opus ſit publicum, ſeu Religionis publica profeſſio, qua homines ſecumipſis conjuncti unum cum Deo fiunt, quæ fælicitas eſt illa ad quam conditi ſunt, & charitas illa, quam legis plenitudinem vocat Apoſtolus; conſequitur profecto, eam Liturgiam illegittimam eſſe, quæ Religionem Deo non gratam contineat, quæ homines ſecumipſis & cum Deo honeſte non colliget. Talis omni procul dubio Liturgia omnis erit, quæ Verbo Dei ſcripto ſeu tradito, Eccleſiæ Catholicæ moribus, Sanctorum veterum exemplis repugnet, quæque publica ac legittima auctoritate non fuerit conſtituta, vel probata. Eccleſiæ autem auctoritate conſtitui, & probari omnino nequit quæcumque Verbo Dei contradicat, & quæcumque ſuperſtitionem, errorem ſapiat, vel ſpeciem mali præſeferat. Eccleſiæ hæc auctoritas conſtituendi, probandi, ac dijudicandi formulas Liturgicas in iis reſidet, qui ex officio Sacrorum Cuſtodes ſunt & Miniſtri, quos Pontifices & Sacerdotes eſſe, non Chriſtiani ſolum, ſed & Hebræi ac ipſi etiam Gentiles agnoverunt, ſi paucos quoſdam maleferiatos homines exceperis, quorum diſſenſus in Religione haud major habenda eſt ratio, quam monſtrorum in natura.

Quoniam vero contingere poteſt, ut Epiſcopi propria auctoritate abutantur, & noxiis paſcuis concreditas oves paſcant, ſeu ex ignorantia, ſeu ex mala voluntate, hinc centrum unitatis, Religionis, ac Fidei magiſtra, Mater & Caput Eccle- Romana adeunda eſt, ut confirmentur fratres, errata corrigan-

gantur, defectus ſuppleantur, ſi quando Synodi Œcumenicæ non celebrentur, vel Synodi Peculiares ad Catholicæ Eccleſiæ regulas omnia non exigant. Publica ergo ac legittima auctoritas in Liturgias in Romano Pontifice,& cæteris Catholicis Epiſcopis, qui oves Chriſti paſcunt, reſidet. Veritas hæc adeo certa, & conſtans eſt, ut ab hæreticis in dubium vocari jure nequeat, etſi enim Romanum Pontificem Petri Succeſſorem, & Chriſti in Terris Viceſgerentem non agnoſcant Novatores, quorum nonnulli eo dementiæ devenerunt, ut Romanum Epiſcopum Antichriſtum, & Eccleſiam Romana Sedem Antichriſti adpellare non vereantur, certum tamen ipſis eſt, & variis ſuarum Pſeudoſynodorum Decretis, anteſignanorum auctoritatibus comprobatum, & decretum eſt ad uniformitatem, & bonum Chriſtianæ Reipublicæ, ut nulla Liturgica formula in publicum uſum deducatur niſi Eccleſiæ ejuſque Miniſtrorum auctoritate probata, quin & variis Canonibus ſanxerunt, ne privatis Miniſtris, Paſtoribus, & Epiſcopis ſine Synodorum conſenſu, vel Regis, quem caput Eccleſiæ vellent, auctoritate, ſeu comitiis liceat quidquam hac in re innovare. Longus eſſem ſi pluribus id demonſtrare pergerem, quin actum agerem, cum Joſeph Bingham Anglus integro libro idipſum ex profeſſo contra *Latitudinarios & independentes*, quos vocat, comprobarit, Lectores idcirco plura videre cupientes remitto ad opus quod edidit ſub titulo „ Eccleſiæ Gallicanæ Apologia pro Eccleſia Anglicana „ Etſi autem Eccleſia divina inſtitutione formata, legittimis Perſonis, ſeu Epiſcopis Catholicis hanc poteſtatem conceſſerit, modo illa utantur in ædificationem corporis Eccleſiæ non vero in deſtructionem; nihilominus privatis quibuſdam nonnumquam aliquam in Liturgias auctoritatem impertiit, ac primo quidem doctioribus quibuſdam viris curam commiſit condendi, dijudicandi, reformandi, & corrigendi nonnullas ſacræ Liturgiæ partes; Verum horum doctiorum hominum curis & ſtudiis partes illæ compoſitæ, ſeu

cor-

correctæ a nævis, qui ſenſim irrepſiſſent, auctoritate ſua Eccleſia comprobavit, & publicas ac legittimas fecit. Secundo Privati nonnulli officii ſui partes adimplere volentes, Paſtores monere, excitare, hortari, rationem Liturgiæ componendæ, vel corrigendæ modeſte, humiliter, & ſapienter ſuggeſſerunt, & curarunt; quin tamen ſectas facerent, Judices ſederent, & ex Cathedra ſententias proferrent, aut receptos probatoſque mores, Ritus Sanctos Eccleſiarum reprobarent, aut refellerent.

Sed & illud Eccleſiæ conſtitit, divinæ œconomiæ altiſſima ferre conſilia, ut & privati quidam homines extra ordinem a Deo mittantur, qui Paſtorum legittimorum ſuppleant negligentiam ac defectus, & ea efficiant quæ illi ordinaria poteſtate agere poſſent. Duplex enim eſt miſſio, altera ordinaria, quæ probatur, ac dijudicatur ex legittima Eccleſiaſtica ordinatione, & deputatione; altera vero *extraordinaria* audit, quæ probatur, ac dijudicatur ex fructibus operibus, & ſignis, quæ veri nominis ſint, & non ficta; divinis enim monitis edocti laudatis argumentis ſpiritus probamus, ſi ex Deo miſſi ſunt, quoniam multos ſubintroiiſſe novimus qui ſpecioſum titulum divinæ Miſſionis mentientes falſi Magiſtri, Fratres, & Pſeudoprophetæ ſunt, quin & Lupi rapaces.

Cæterum etſi Angelus de Coelo nobis evangelizaverit præterquamquod nobis Evangelizatum eſt, anathema ſit, quamobrem illæ ſolæ novationes ſeu mutationes in Liturgia abſolute loquendo admitti poſſunt, quæ ut ſuperius innui divino Verbo non repugnent, quæ eſſentialem ſacrorum formam non deſtruant, quæque Chriſtianæ Plebis ædificationem importent; neque enim ulla novatio vel mutatio etiam in rebus non maximi momenti admittenda eſt ſine ſufficienti ratione, quæ ratio nonniſi ex plebis ædificatione, ex Religionis divinæ dilucidatione, & majori expreſſione duci poteſt. Id quod Paſtorum Prudentiæ relinquitur dimetiendum ex peculiaribus circumſtantiis loci, temporis, & Perſonarum. Sed jam ſatis, nunc ad haſce

regu-

regulas, quæ ab initio in Eccleſia decucurrerunt, Novatorum formulas dijudicemus.

ʃ. I.

Lutheri Liturgia refellitur.

PRodeat jam Lutherus, & ejus Liturgiam illegittimam facile videbimus. Is Epiſcopus, aut Doctor Eccleſiæ probatus non fuit; publica ergo ac legittima auctoritate ordinaria nulla pollebat; ſignis veri nominis, ac portentis nullis inclaruit; eum ut palmitem areſcentem a Leone X. Eccleſiæ Catholicæ legittimo Capite damnatum novimus; a Tridentina Œcumenica Synodo ejus nefaria doctrina, erroreſque, ac hæreſes damnatæ, proſcriptæque leguntur; ipſæ etiam Orientales Eccleſiæ, quarum nonnullæ ab Occidentali, & a Romana ſejunctæ ſunt, Leonis X. Bullæ, & Tridentinis definitionibus conſonant, & Lutherum, ejuſque doctrinas reprobant, damnant, anathematizant. A quo ergo Lutherus miſſus eſt? quo Spiritu, quo Doctore, quo monitore Liturgiam condidit? Quod Lutherani homines fateri nolunt, audiant ab Hoſpiniano, qui certe Romanæ Eccleſiæ alumnus non fuit, is autem tom. 2. hiſt. Sacrament. pag. 220. hæc ſcribit:

„ In lucem quoque emiſit hoc anno Lutherus Librum de Miſſa privata, & Sacerdotum conſecratione, in quo ſtatim ab initio deſcribit colloquium a ſe cum Diabolo intempeſta nocte habitum, in eoque ſe de multis abuſibus Miſſæ privatæ præcipue a cacodemone admonitum fatetur: *A me ipſo* (inquit) *hic exordiri, & confeſſiunculam aliquam facere inſtitui. Quondam intempeſta nocte e ſomno evigilavi, & mox Satan hujuſmodi diſputationem in animo meo* (*quemadmodum ſcilicet multas noctes mihi ſatis amarulentas, & acerbas reddere ille novit*) *mecum inſtituit. Audis ne? dixit, excellentiſſime Doctor: Num*

ignoras te quoque per annos quindecim privatas Miſſas quotidie fere celebraſſe? Quid vero, ſi Miſſis hujuſmodi meram idololatriam exercuiſſes, & non Chriſti Corpus, & Sanguinem, ſed nudum panem, & vinum illic & tu adoraviſſes, & aliis quoque exhibuiſſes adorandum? Reſpondebam ſic: Atqui Sacerdos ſum ad iſtud muneris conſecratus, qui & Chriſma, & conſecrationem ab Epiſcopo olim habui: præterea omne hoc ex meorum juſſu, & obedientiæ debito per me factum eſt. Cur ergo non conſecraviſſem, cum verba ipſa diligenti ſtudio pronunciaverim, & ſumma, qua potui devotione in Miſſis celebrandis uſus ſim? Vere equidem hoc dicis (reſpondit Satan,) ſed & Turcæ, & Ethnici omnes quæcumque in templis ſuis agunt, ex juſſu, & ſtudioſa devotione facere ſolent. Hæc, illo dicente, ſudor obortus eſt, & cor mihi tremere, & ſubſultare cœpit. Diabolus ſua argumenta fortiter figere, & urgere novit. Voce quoque gravi, & forti utitur. Nec longis, & multis meditationibus diſputationes ejuſmodi tranſiguntur, ſed momento uno & queſtio, & reſponſio abſolvitur. Senſi equidem, & probe expertus ſum, quam ob cauſam illud nonnunquam evenire ſoleat, ut ſub auroram quidam mortui in ſtratis ſuis inveniantur. Corpus ille perimere vel jugulare poteſt. Nec id modo, verum & animam diſputationibus ſuis ita urgere, & in anguſtum coarctare novit, ut in momento quoque illi excedendum ſit quo ſane me quoque non ſemel tantum non perpulit. Et cætera quæ ibidem de hac diſputatione narrat plura; quorum ſumma eſt, ſe a Diabolo edoctum eſſe, quod Miſſa privata in primis ſit res mala, & rationibus Diaboli convictum aboleviſſe eam. Hujus meminiſſe debebant Lutheri diſcipuli, & deſinere Zuinglio Somnium ſuum objicere, in quo de vero ſenſu verborum Coenae admonitus fuit, non a Diabolo ut Lutherus de abuſibus, & ſuperſtitionibus Miſſæ, ſed ab alio, ut ipſe ſcribit, Monitore,,. Hactenus Hoſpinianus, cui conſonat David Pareus Calviniſta controv. Euchariſt. pag. 257. apud Martinum Becanum, & auctor libri Pariſiis editi

an. 1633.:

an. 1633.: *Luther diſciple du Diable*: apud Lebrun diſſertat. 13. art. primo tom. 4.

Seckendorfius in Commentario hiſtor. Apologet. Lutheraniſmi Lipſiæ an. 1694. edito, ut tantum dedecus a Lutheranis amoliretur, præfatam Lutheri narrationem vel fictam, vel figuratam variis coloribus cohoneſtare contendit. Sed aliorum judicio quæſtionem dirimendam (quamquam laudatis ſuperius Scriptoribus Critici æqui ſubſcribant oportet) relinquo, atque formulam cœnæ a Luthero præſcriptam Spiritu tenebrarum, erroris, ac Satanæ conditam, & Eccleſiarum omnium Chriſtianarum conſenſui conſtanti ac perpetuo adverſari breviſſime oſtendo.

Et quid quæſo in ea adparet, niſi blaſphemiæ in ſanctos Dei amicos, quorum Religioſum cultum apud omnes Eccleſias Sancte preſcriptum, improbat Lutherus? Defunctorum ſuffragia, quibus Liturgiæ totius Chriſtiani Orbis redundant, abrogat.

Inimicus Crucis Chriſti hujus feſta ab Eccleſia inſtituta, ut Chriſti Crucifixi pro nobis, memoria apud nos perennis ex ſiſtat, & grata, damnat. Ritus, ac ceremonias plurimas, uti & *Canonem* ceu *abominationem* repudiat; Collectas Mercenarias, Miſſam Monopolium traducit, ac omnes fere Romani Ritus diſciplinas *ſuperſtitioſas* arguit. Eo autem devenit ut Romanam Eccleſiam Antichriſti Sedem adſerat, unde & iniquus in Paſtores & Sacerdotes, ac divina Altaria, Incruentum ipſum Sacrificium pernegat; Romanæ & Græcæ Eccleſiæ conſtantem diſciplinam de mixtione aquæ, & vini præſcripta contra Armenos, ſtultam pugnam vocat Sapientiſſimus hic frater apoſtata, qui privatam Miſſam ſugillans, præparationis ad Communionem & probationis modum ab Eccleſia conſtitutum reprobat, & eam diſpoſitionem optimam videtur indicare, quæ Catholicæ Eccleſiæ judicio peſſima ſit.

Hæc compendio recitavimus: jam autem Lectores Æquos

quin & ipſos Lutheranos homines obteſtor ut conferant hæc dictata, quæ ex *poteſtate Spiritus*, ſibi a Deo, ut ait, *conceſſa* ſcripturivit Lutherus, cum Eccleſiæ Catholicæ doctrina, moribus, & diſciplinis expreſſis in Liturgiis a nobis vulgatis,& vulgandis,& nullo negocio,palam ipſis conſtabit, non illegittimam modo, ſed & hæreticam,atque omnino Antichriſtianam eſſe Liturgiam a Luthero præſcriptam, quod unum demonſtrandum ſuſceperam.

ſ. II.

De Zvvinghii Liturgia.

EXceptiones, quibus Lutheri formulam illegittimam demonſtravimus, eædem ferme illegittimam arguunt Zvvinglianam: enimvero nedum auctoritate Eccleſiæ nulla formulam præſcripſit, ſed & *monitore* illam condidit, qui in ſomnis illi adparuit quin meminerit *ater an albus fuerit*. Vide Hoſpinianum tom. 2. hiſt. Sacramentar. a pag. 33. ad 40. incluſive, ubi multis contendit *monitorem* illum vel Spiritum Dei eſſe, qui habitat in cordibus Fidelium vel conſcientiam ipſam, ac mentem ipſam Zvvinglii. Sed Æthiopem prius dealbaverit, quam nobis ſuadeat *monitorem* illum Spiritum Dei fuiſſe,vel mentem conſcientiamque Zvvinglii per Spiritum Dei illuſtratam, ergo doctrina, ac formula iſta ex Diabolo cum ſit, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, reprobanda eſt, uti & Hæretici complures notarunt, & ſugillarunt apud ipſum Hoſpinianum pag. 40. quod vel inde confirmatur, quia *monitor* ille Euchariſtici Sacrificii a Chriſto inſtituti, & ab Eccleſia conſtanti traditione Religioſis formulis, ſacriſque Ritibus celebrati, abolitionem ſuggeſſerit Zvvinglio, qui nulla legittima auctoritate novam doctrinam patribus noſtris incognitam tradidit, novoſque Ritus obtruſit. Conferat quæſo

ſo Chriſtianus Lector Liturgiam hanc cum cæteris Chriſtianis, & ſatis ſuperque certus erit, Dæmonium vel alteratam corruptamque Phantaſiam Zvvinglii *monitorem* fuiſſe; qui *monitor* ſitne ſequendus, an imo contemnendus, viderint Pii, Æquique Rerum æſtimatores.

ſ. III.

Calviniana Cœnæ formula diſcutitur.

CAlviniana Euchariſticæ Coenæ formula illegittima arguitur quod a legittimo Eccleſiæ Epiſcopo, vel Doctore probata non fuerit, niſi Calvinum Epiſcopum Catholicum, vel Doctorem Eccleſiæ probatum oſtenderint Calviniani, quod tantum abeſt, ut vel conjecturis ſuadere poſſint, quinimo ſcimus illum cum ſuis nefariis doctrinis, & quidem in ſubjecta Euchariſtiæ materie, fuiſſe ab Eccleſia non Occidentali ſolum, ſed & Orientali damnatum ac anathematizatum, cui damnationi eo, quo animatus videtur fuiſſe, ſpiritu reſtitit, & adverſus Eccleſiam legittime congregatam ſeſe extulit, adeout antidotum, & examen inſtituerit, ac paraverit adverſus Tridentinum Concilium. Quamobrem ut Ethnicus, & publicanus a Chriſtianis veri nominis merito eſt habendus, utpote qui Eccleſiam nec audiit, ſed & contemſit, Sed ut ad rem propius accedamus, dico formulam Calvini eſſe novitiam, atque ab uſu multis jam Sæculis recepto alienam, quod & ipſe aperte fatetur pag. xxxv. Miſſam ipſam plane, ac funditus ſe tollere non diffitetur; Chriſti præſentiam in Sacramento realem penitus excludit, Sacrificii Euchariſtici memoriam abolere conatur, conſecrationis formulam fruſtra requires, ut nihil de cæteris dicam, quæ quiſque oculari inſpectione, & collatione cum totius Chriſtiani Orbis Liturgiis facile per ſeipſum notare poterit.

Sed

Sed quorſum tanta innovatio, quorſum tanta mutatio Liturgiæ, adeout inter formulam Calvini & Chriſtianas Liturgias non minus interſit, quam inter lucem, & tenebras? Conſilii ſui rationes duas profert Calvinus, alteram inde petit, ut Sacramentum Domini multis corruptelis,ac vitiis inquinatum, & fœdatum; & incorruptum redderet, ac ſervaret. Alteram vero, ut ad Chriſti inſtitutum Cœnæ celebrationem revocaret.

Verum neutrum præſtitit, quin & Chriſti inſtitutum ab Eccleſiis hactenus conſtantiſſime ſervatum violavit, & Sacramentum Corporis Chriſti & Sanguinis, dum expurgare contendit, penitus ſuſtulit, & eliminavit. Quæſo Lectores perlegant diſſertationem de origine Liturgiarum, & præfationem ad alteram partem lib. 4. Codicis Liturgici, & nullo negocio deprehendent Calvinum novam doctrinam, novam diſciplinam, novoſque Ritus contra Chriſti inſtitutum, contra Eccleſiæ Catholicæ mores incorruptos, invexiſſe, ut ſcilicet ſenſim homines ad irreligionem, & atheiſmum perduceret, & Sathanæ conſilia perficeret. Illud exoptandum hic eſſet, ut Liturgiarum omnium textus hic recitarem, quo facilius Lectores unico veluti obtutu illegittimitatem, & injuſtitiam formularum hæreticarum comprehendant, aſt nec tantum otii nobis datur,neque præſcripta nobis brevitas id patitur, neque idonea ulla,aut neceſſaria ratio id exigere nobis videtur, quare Calvinianos precor, ut ipſi relegant, quæ alibi a nobis vulgata ſunt, & ſiquidem lumine ulteriori indigeant, parati ſumus iis ſatisfacere, modo evigilare velint, & lumen, quod in ipſis eſt, extinguere nolint.

§. IV.

§. IV.

Anglicana Liturgia illegittima oſtenditur.

ANglicanæ Liturgiæ illegittimitatem multa probant, atque illud primo, quod regia auctoritate illa ſit præſcripta, atque in comitiis regni probata legatur. Quæro jam ab Anglicanis, an Principum & Laicorum ſit Eccleſiæ negocia, Religionis officia ſacra præſcribere, & judicare? Si id affirment, quæſo videant qui Evangelio & Chriſtianæ inſtitutioni faciant ſatis, quæ ſejunctam Eccleſiaſticam a Laica poteſtate decernunt, diſtincta utriuſque officia hactenus docuere, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo reddenda mandarunt. Quemadmodum enim homo anima conſtat, & corpore, quæ duæ ſubſtantiæ diverſos, ac proprios habent actus, ac nonniſi quadam commercii a Deo inſtituti, ſeu pacti lege, una alteram juvant, & confovent; ſic Poteſtatem Eccleſiaſticam & Laicam Deus inſtituit, quæ ſingulis ac propriis diſtinctis actibus hominis fœlicitatem terrenam, atque æternam, ſpiritualem & corporalem procurent, atque lege quadam commercii ſeſe mutuo adjuvent, & foveant. Jamvero actus proprius, & officium Eccleſiaſticæ Poteſtatis eſt ſacrorum obſervantia: id non Chriſtiani, ſed & ferme omnes noverunt gentes, quæ Pontificiam, ſeu Sacerdotalem agnoverunt dignitatem: apposite Ambroſius Ep. 20. ſcribit, „Imperatorem intra Eccleſiam eſſe, non ſupra Eccleſiam, & publicorum Imperatorum mœnium jus eſſe commiſſum, non ſacrorum „ Cum ergo auctoritate regìa & comitiorum regni conſtituta legatur hæc Liturgia, illegittima profecto habenda eſt.

Sed ne in quæſtionem a præſenti diſtinctam cum novatoribus heic deſcendam, ad alia argumenta procedo, quæ Liturgiam illegittimam comprobant. Multa deſiderantur, quæ in omnibus Chriſtianis Liturgiis præſcripta ſemper fuere, nonnulla

nulla heic indicabo, ex quibus cætera quilibet æſtimare poterit. Sanctorum cultus, & memoria abrogatæ ſunt; ſuffragia pro Defunctis non leguntur; Spiritus Sancti invocatio ut panis fiat Corpus, & vinum Sanguis Chriſti, abeſt; omne ſecretum Canonis tollitur, cum nulla hujus Liturgiæ pars ſecreta voce, quæ ab adſtante populo non audiatur, legi a Sacerdote præſcribatur.

Euchariſtici Sacrificii Corporis & Sanguinis Chriſti veritas vel nulla cernitur, vel ea æquivocis verbis ira concepta eſt, ut Lutherani hæretici & Romani Catholici in propriæ doctrinæ ſubſidium ea poſſint advocare, vel ſine præjudicio iis adparenter uti poſſint formulis; hæc & ſimilia, ad minutiora enim non deſcendo, cum aliena ſint a Chriſtianis Liturgiis, demonſtrant hanc Liturgiam eſſe illegittimam.

§. V.

Svecana Liturgia improbatur.

HÆC Liturgia etſi tolerabilior adpareat, attamen & ipſa illegittima convincitur ex eo quod Epiſcopus aſſertus Laurentius nulla auctoritate ex hodierna Eccleſiæ univerſalis diſciplina illam compoſuerit. Hanc enim ſuper Liturgias auctoritatem Epiſcopis privatis ſublatam alias vidimus; ſed & licet Epiſcopis Catholicis hanc libertatem etiam modo ineſſe demus, etſi Laurentium verum ac legittimum adſeramus Epiſcopum; ea tamen in Liturgia omiſit, quæ ab Epiſcopis numquam omitti potuere, utpote Eccleſiæ antiquiſſima & univerſali Lege præſcripta.

Itaque nonnulla capita heic deſcribam, quæ in hac Liturgia reprobanda videntur, & primo, Crucis ſigna quæ in Canone fiunt ſuper hoſtiam, ſeu cum hoſtia, penitus omittuntur. Secundo, Invocationis Spiritus Sancti verba concepta ſunt æquivoce

voce omnino ne dicam erronee, loco enim illorum Latini Canonis „ Ut fiat nobis Corpus, & Sanguis „ Hæc ſubſtituta legimus „ benedic..... propoſita, & ſacro uſui deſtinata, panem, & vinum ut in vero uſu nobis ſint Corpus & Sanguis„ Hæc certe verba Lutheranam doctrinam de præſentia Corporis Chriſti tranſeunte, ſcilicet in ſolo uſu, ſapiunt, & redolent, cum Eccleſia omnis Corporis Chriſti præſentiam agnoverit, & quidem immanentem ſub ſpeciebus panis, & vini, etiam peracto Sacrificio, & extra uſum. Tertio. Orationes nullae, ſuffragia nulla pro Defunctis occurrunt. Quarto; Fidelium adſtantium communio adnotatur, ut præcedens communionem Sacerdotis celebrantis, quod alienum eſt a Chriſtianis Liturgiis. Hæc ſane, & ſimilia plane arguunt illegittimam Svecanam Liturgiam.

§. Ultimus.

Concluditur Caput.

EX dictis id, ni fallor, oppido conſtat Novatorum Liturgias nulla legittima auctoritate compoſitas, vel probatas; eas cæteris Chriſtianis Liturgiis contrarias; atque unice compoſitas, & innovatas ut Romanæ Catholicæ Eccleſiæ dogmatis, & doctrinis de Euchariſtico Sacrificio, Tranſubſtantiatione, Sanctorum Cultu, Defunctorum Suffragiis, religioſis cærimoniis contradicerent, eaſque eliminarent, ſi ipſis conceſſum fuiſſet. Propterea cum ſint ſine auctoritate, ſine exemplo, ſine ſufficienti ratione, deſipiat, oportet, qui eas legittimas aſſerere audeat.

Tria tamen pro Novatoribus reſponderi poſſunt, ac primo olim ſingulis Epiſcopis libertatem in Liturgias fuiſſe conceſſam. Secundo Orientis Liturgiæ ab Occidentalibus differunt. Tertio innovationem factam eſſe, ut erroribus Romanis ac ſuperſtitionibus, quae Chriſti inſtitutum corruperant ac fœdaverant, locus, & occaſio omnis præcideretur, atque negaretur.

Hæ ſunt conſuetæ næniæ, quas decantant Novatores, ut fucum faciant, & ſuæ injuſtæ ſeceſſionis rationem aliquam expiſcentur; verum nemo prudens, & æquus rerum æſtimator, & Judex rationem agendi Novatorum probabit, ſi animum advertat ad ea, quæ in præfationibus ac diſſertationibus præviis antecedentibus tomis plene diſſeruimus.

Libertatem ſingulis Eccleſiis, ac Epiſcopis olim conceſſam haud diffitemur, ſed ea libertas in concipiendis nonnullis formulis, in ritibus quibuſdam diſponendis tota conſiſtebat, & quidem ad certas regulas decori, & honeſti, & ad Chriſtianæ doctrinæ ſcripto, ac tradito, & ab Eccleſia Catholica propoſito Dei Verbo contentæ & definitæ, confirmationem, atque dilucidationem. Quoniam vero contingere nonnumquam potuit,ut nonnulli modum ſuę libertati pręſcriptum prætergrederentur,& ſchiſmata in corpore Eccleſiæ efficerent, hinc ea poteſtas ſublata & libertas reſtricta. Novatores libertate olim conceſſa nullo pacto utuntur,cum doctrinam Eccleſiæ ac diſciplinam, formamque communem Liturgiarum omnium Eccleſiarum, corruperint, fœdaverint, atque penitus aboleverint. Uti vel cœci videre poſſunt.

Ad alterum, fatemur & nos Orientalium Liturgias ab Occidentalium Liturgiis differre, quin & illud Novatoribus ultro damus, Occidentales Liturgias cum antiquas cum recentes nonnullis in rebus differentes inter ſeſe adparere. Sed differentia, & varietates ſunt in nonnullis minutioribus rebus, quæ doctrinam non corrumpunt, & formam communem non lædunt, videſis, quæ dixi in ſect. 3. diſſertat. de origine Liturgiarum; utinam Novatores eam admiſiſſent, mutationem in Liturgia, quæ alicujus Orientis, vel antiquæ Occidentalis formam communem ſervaret. Aliquo ſane exemplo ſe tueri poſſent, & ſuam agendi rationem forte cohoneſtaſſent.

Ad tertium;hæc nimirum unica eſt, quam adferunt, ratio, cur receſſerint ab antiquis inſtitutis, & terminos a Patribus

no-

noſtris conſtitutos tranſgreſſi fuerint; ſed quid aliud fecerunt, dum errores ac ſuperſtitiones tollere ſtuduere, quam errores, & irreligionem inducere in orbem? Si Eccleſiam Romanam in errores, & ſuperſtitionem prolapſam, atque babylonem, ſeu meretricem illam, quæ ſui proſtitutione orbem corrupit, ut Johannes in Apocalypſi vidit, dictitent, videant quæſo Chriſtianas omnes Eccleſias Antiochenas, Conſtantinopolitanas, Alexandrinas, ac Hieroſolymitanas iiſdem (quos ajunt) erroribus, ac ſuperſtitionibus plenas eſſe, & ſemper quidem fuiſſe, cum in Liturgiis ſemper mirabili conſenſione Eccleſiæ iſtæ ſecum conteſſerarint. Quod ſi erroris & ſuperſtitionis arguant Chriſtianas Eccleſias, eaſque adulteras, & Chriſto ſponſo relicto, Sathanæ conjunctas volunt, uti olim donatiſtæ contendebant, qui Chriſtianam veritatem in propria Eccleſia ſeu ſecta immunem conſervatam volebant; quæſo reponant, quo titulo legittimos ſe Chriſtianos comprobabunt? Ipſi ex Romanæ Eccleſiæ ſinu prodierunt, hujus Liturgia Chriſto renati, hujus lacte, ac cibo Euchariſtico educati & alti fuere. Si ergo ex matre adultera procreati ſunt, ipſi nothi erunt omni procul dubio, niſi cedant ſupremi Numinis privilegium, quo legittimati ſint, & ut legittimi declarati. Nulla enim alia eſt via, qua quis legittimus habetur, niſi quod a legittima matre fuerit natus, vel a Principe fuerit legittimatus. Jureconſulti aliud legittimandi modum agnoſcunt, ſi quis ſcilicet ſubſequens matrimonium contrahat cum ea, ex qua filios nothos habuit; aſt hoc ſubſequens Chriſti matrimonium cum Romana Eccleſia non agnoſcunt Novatores, quare illegittimos, ac nothos Chriſtianos derelinquamus, eorumque Liturgias illegittimas jure habeamus, quod jam ſatis demonſtravimus. Sed ad majorem veritatis hujus declarationem placuit heic addere duas peculiares exceptiones, nam de aliis argumentis alibi ſpecialius agemus, quibus illegittima Novatorum Liturgia ſatis ſuperque comprobatur.

CAPUT ULTIMUM

Exceptiones peculiares.

UT autem quædam in Specie opponam Novatorum Liturgiis, duas heic quæſtiones dirimendas breviſſime ſuſcipiam, & quidem ex diſciplina Rituali Eccleſiarum, ne extra inſtitutum meum divager, et alienis armis dimicem, atque ea congeram, quae Theologi noſtri fuſo ac erudito calamo deſcripſerunt. Sit ergo.

ſ. I.

De Præparatione ad communionem.

LUtherus in concione, quam de preparatione ad Euchariſtiam habuit ann. 1518. hiſce verbis mentem aperit ſuam, „ Optima diſpoſitio eſt nonniſi ea, qua peſſime es diſpoſitus, & „ è contratio tunc peſſime es diſpoſitus, quando optime es diſpoſitus. „ Idem paradoxon tuitus eſt in libro *de captivitate babilonica* capite de Euchariſtia. Idem in altero opuſculo *de abroganda Miſſa privata* confirmat; atque in formula Miſſandi relata non obſcure innuit, Romanam Eccleſiam uti ſuperſtitioſam damnans; neſcio joco, figurate, an ſerio, & proprie loquatur, quidquid ſit, illud certum eſt ex Lutheri & calvini principiis id conſequi, cum ſola Fide Sacramentum percipiendum dictitarunt. An autem Romana Eccleſia ſuperſtitioſa ſit, Hæreticis reſolvendum relinquo, modo tamen Salvatoris noſtri exemplum ob oculos ſibi proponant. Qui antequam Apoſtolis pretioſi corporis, & ſanguinis ſui Sacramenta daret, quamvis jam mundi eſſent, pedes eorum lavit, ut declararet omnem diligentiam adhibendam eſſe, ne quid nobis ad animi integritatem ac innocentiam ſummam deſit, cum ſacra myſteria percepturi

ri ſumus. Deinde vero fideles intelligant, quemadmodum ſi optime affecto, & præparato animo, Euchariſtiam aliquis ſumat, amplis is Cæleſtis gratiæ muneribus ornatur: ita contra, ſi imparatus accipiat, non ſolum nihil commodi, ſed maxima etiam incommoda, & detrimenta eum accipere. Cum enim Euchariſtia cibus ſit & potus animæ, ſicuti cibi qui ore accepti in ſtomachum bene affectum illabuntur, corpora alunt & ſuſtentant: qui vero in ſtomachum vitioſis humoribus plenum infundi ſolent, graves morbos efficiunt, non diſſimili ratione Euchariſtia à bene adfecto ac præparato ſuſcepta, hunc ſpiritualiter alit, & ſuſtentat; ſi autem ſuſcipiatur ab indigno ac male adfecto graves illi ſpirituales morbos inducit, unde & Paulus 1. cor. cap. 11. ſcribit, probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit... reus erit Corporis, & Sanguinis Domini, non dijudicans corpus Domini.

Primam ergo illam præparationem Fideles adhibeant, oportet, ut diſcernant menſam à menſa, hanc Sacram ab aliis profanis, cæleſtem hunc panem à communi. Atque hoc fit cum certa fide credimus præſens eſſe verum Corpus, & Sanguinem D. N. J. C. quem in Coelo Angeli adorant, ad cujus nutum columnæ Coeli contremiſcunt; & pavent, cujus gloria plenum eſt Coelum, & Terra, Qui cum forma Dei eſſet, & ſupremus omnium Pater, ac Dominus ſic in finem nos dilexit; ut ſeipſum pro nobis in Sacrificium, & cibum tradiderit, adeout ejus deliciæ ſint cum nobis eſſe, in nobis manere. Hoc nimirum eſt dijudicare Corpus Domini, cujus tamen myſterii magnitudinem venerari potius oportet, quam in diſputationibus ejus veritatem curioſius perquirere.

Mens tanta ſuperna luce illuſtrata facile erumpet in actus ſpei Theologicae, qui enim proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. cap. 8. Si autem cum inimici

mici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Multomagis reconciliati, & Corpore ac Sanguine ejus refecti, & ſaginati ſalvi erimus in vita ipſius.

Spe, quæ non confundit, erecti, & confirmati chriſtiani Charitatis actus elicient, quibus Deum optimum maximum, & bonitatis totius Theſaurum, ac fontem diligentes, ad maximam cum eo unionem per Sacramentalem perceptionem Corporis, & Sanguinis Chriſti venire ſitiunt; Qui mentis humanæ ordinatiſſimi motus, ad humilitatem movent, taciti ſcilicet cum animis noſtris cogitantes quam indigni ſimus, quibus hoc divinum beneficium à Domino tribuatur, illud Centurionis, de quo idem Dominus matth. 18. teſtatus eſt, ſe non inveniſſe tantam fidem in Iſrael, ex animo dicemus; *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*. Exquiremus etiam à nobis ipſis an illud Petri Joan. 21. uſurpare nobis liceat, *Domine tu ſcis quia amo te*, meminiſſe enim oportet, eum, qui ſine veſte Nuptiali (matt. 21.) in convivio Domini accubuerat, in Tenebroſum Carcerem conjectum ſempiternis pænis addictum fuiſſe.

Quamobrem conſcientiam noſtram ſcrutari diligenter debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati ſimus, cujus pęnitere neceſſe ſit, ut prius contritionis & confeſſionis medicamento illud eluatur.

Hæc eſt Eccleſiæ Romanæ doctrina & diſciplina in Catechiſmo Romano part. 2. num 57. expreſſa de animi præparatione. neque vero ſuperſtitio ulla eſt, nec novitas, ſiquidem in Evangelio fundata eſt ea præparatio, naturae lumini conſona, & ab antiquiſſima Eccleſiæ Chriſtianæ diſciplina ortum habet, quod primo, conſtat ex iis verbis Diaconorum, quæ mediis ſacrificiis omnium auribus inſonabant, *Sancta Sanctis*, etſi enim hæc proclamatio alium ſenſum habuerit ſecundum nonnullos Patres, uti in antecedenti tomo adverti, nihilo tamen minus fere omnes in Chryſoſthomi expoſitionem conſentiunt, eamque

ſi non

ſi non unicam, ſaltem præcipuam ſignificationem admiſerunt; hom. itaq. 17. in Epiſt. ad Hæbreos ſcribit,, Quando dicit ſa-
„ cerdos (diaconi ore) Sancta Sanctis, hoc dicit, ſi quis non
„ eſt Sanctus, non accedat, non ſolum (inquit) a peccatis
„ purus, ſed etiam Sanctus. Sanctum enim non facit ſolum li-
„ beratio a peccatis ſed etiam præſentia ſpiritus & bonorum
„ operum ubertas, & opulentia: non ſolum (inquit) volo
„ vos ab vitiorum cœno repurgatos, ſed candidos eſſe, ex pul-
„ chritudine conſpicuos „ Gennadius de Eccleſ. dogmatibus
„ cap. 53. Quotidie (inquit) Euchariſtiæ communionem per-
„ cipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen domini-
„ cis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens
„ ſine adfectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem
„ peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam
„ purificari. Et ideo, quamvis quis peccato mordeatur, pec-
„ candi non habeat de cœtero voluntatem & communicaturus
„ ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini
„ miſeratione, qui peccata piæ confeſſioni donare conſuevit,
„ accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus. Sed hoc de illo
„ dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Quem
„ mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt hortor
„ prius publica penitentia ſatisfacere, & ita ſacerdotis judicio
„ reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium
„ & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere „.

Cœterum longus eſſem ſi Patrum textus congerere vellem, in quibus exigitur Sanctitas & puritas in accedentibus ad ſacram communionem, vide ſi placet Chryſoſt. hom. 3. in Ep. ad Epheſios, hom. 31. de Philogono, hom. 52. in eos qui Paſcha jejunant; concludam igitur recitando verba Joſephi Binghami origin. Eccleſiaſt. lib. 15. cap. 8. §. 8. ibi „ non eſt mihi ſpatium ea omnia heic traſcribendi, quæ hic auctor (nimirum Chryſoſtomus) & reliqui in exhortationibus ſuis, dignam homi-

nibus

nibus præparationem ad communionem perſuaſuri, dixerunt: multominus cum hujus operis ſcopo conſiſteret, ſi ad ſingula, quæ hac de re quæri poterant, deſcendere vellem, quorum tractatio in juſtum volumen facile excreſceret. Accedit quod lector id magnam partem jam a *Taylono* erudito Epiſcopo noſtrate, factum inveniat in libro quem inſcripſit *Worthy communicant*, in quo omnia officii genera ad dignam præparationem requiſita, unacum caſibus conſcientiæ, in officio tam adminiſtrantis, quam communicantis occurrentibus ex vetuſtis ſcriptoribus collegit. Contentus ergo pauca ſolum adferre, quæ ad hæc ſingularia ſpectant, & ſunt: 1. Fides 2. reſipiſcentia, & obedientia. 3. Juſtitia. 4. Pax & concordia. 5. Caritas, & beneficentia. 6. Injuriarum condonatio. Denique 7. Vitæ ratio tempore communicationis„ Hactenus Bingham, qui per ſeptem integros §. late hæc proſequitur, & adductis Chryſoſthomi, aliorumque Patrum teſtimoniis demonſtrat.

Quam obrem in Eccleſia Dei Catholica altera diſciplina obtinuit, ut pænitentes a communione arcerentur, niſi digna ſatisfactione ſcelera eluiſſent ſua. Quæ ſcelera ſi cum publico ſcandalo commiſſa, & in vulgus nota eſſent, nonniſi publicæ penitentiæ ſatisfactione elvebantur; & publice diluta, atque condonata ubi eſſent, a ſacra communione non arcebant, id Lippis notum eſt & Tonſoribus. Quod ſi privata eſſent crimina illa, niſi privata Sacramentali Pœnitentia Dimiſſa, ab communione, & ipſa arcebant.

Sed quoniam ad verſarii negant ab antiquis Patribus confeſſionis Sacramentalis neceſſitatem fuiſſe agnitam, & uniuſcujuſque arbitrio relictum fuiſſe ajunt, ut peccata ſua privata, vel ſoli Deo confiteretur, vel ſacerdoti antequam ad ſacram accederet communionem, hinc unum vel alterum ex antiquis clarum producam teſtimonium, quo Confeſſionis privatę neceſſitas antiquis nota adpareat; plura enim heic dicere inutile eſt, vel quia in libro de penitentia cum novatoribus de hoc articulo fuſe

ſe diſceptandum erit. Clemens Romanus, vel quiſquis ſub ejus nomine ſcripſit, epiſtola 1. ad Jacob. „ Quod ſi in alicujus cor (inquit) vel livor vel infidelitas, vel aliud malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, hoc confiteri ei, qui præeſt, ut ab ipſo per Verbum Dei salubre curetur „ Cyprianus de *Lapſis* „ Quamvis (inquit) nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt; ſalutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur „ Hinc firmilianus ad S. Cyprianum ſcribit „ Quale delictum eſt ... Quod non ablutis per Eccleſiæ lavacrum ſordibus, nec peccatis expoſitis, uſurpata temere communicatione contingat Corpus, & Sanguinem Domini, cum ſcriptum ſit, quicumque &c. „ inter Cypr. Ep. 76.

Itaque ſic contra Novatores argumentor; confeſſio peccatorum Sacerdoti facienda, ut ab eo ſatisfactione quadam impoſita, Peccatores reconciliati ad Communionem Fidelium maximam, quæ in Corporis Chriſti perceptione conſiſtit, ab antiquis Chriſtianis Patribus omnino neceſſaria judicabatur; quæcumque tandem fuerit iſta Confeſſio: Confeſſio privata, & ſecreta non ſolum fuit in uſu, ſed & commendata multis in caſibus, ac præcipue in hiſce tribus. Primo. Si quis impeditam ab onere peccatorum haberet conſcientiam peccata ſua Sacerdoti privatim confiteri monebatur, ut ab ipſo per ſalubria conſilia, monita, auxilia, preces curaretur, & ſublevaretur. Secundo. Si quis occultis peccatis eſſet inquinatus, & maxime internis, illa Sacerdoti ſecreta confeſſione indicanda erant, ut is pro ſua auctoritate, & prudentia aptis remediis ea peccata curaret. Publicæ autem pœnitentiæ peccata ſubjici vetabantur. Siquidem ſcandalum puſillis timebatur, vel multi a pœnitentiæ remediis arcebantur, dum aut erubeſcunt, aut

metuunt inimicis ſuis ſua facta referari, quibus poſſint legum Conſtitutione percelli, nimirum periculum eſſet capitalium pœnarum ex legibus politicis contra certa crimina latarum. „ Hæc Bingham lib. 18. cap. 3. oſtendit.

Liberum proinde non fuit primis Chriſtianis peccata ſua confiteri, antequam accederent ad Communionem; ſed neceſſariam credidit primitiva Eccleſia talem Confeſſionem; Seu privata eſſet, & ſecreta, ſeu publica, & manifeſta; quæ res cum ad diſciplinam exteriorem mutabilem pertineret, ex quo auctoritate Eccleſiæ publica ſublata fuit, privata omnino neceſſaria eſt; quare optime Tridentina Synodus ſeſſ. 13. cap. 7. definivit. „ Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte: certe, quo magis Sanctitas, & Divinitas Cœleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat, præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legantur; qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Quare communicare volenti, revocandum eſt in memoriam ejus, præceptum, probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod a Chriſtianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſarii. „

Verum Lutherus opponit; Chriſtus quamdiu in Terris verſatus eſt, peccatores non repulit a ſe, imo, & proteſtatus ſe non veniſſe vocare juſtos, ſed peccatores.

Neſcio quid inde inferat Lutherus; enimvero cum Chri-

ſtus

ſtus Homo verſaretur in Terra, & oves errantes quæreret, ne perirent, peccatores ad fidem, & juſtitiam vocaret cum iis familiariter colloqui, eos ad ſe trahere voluit, quin vel ipſos Ethnicos repelleret; Jamvero cum in hoc Sacramento vere præſens adſit per modum cibi, & potus, vivant oportet homines, ut ex Divino hoc Pane participantes, emolumentum conſequantur. Cibus namque, & potus mortuis non proſunt; neque vivus cenſetur is, qui Chriſtiana fide, & charitate fuerit deſtitutus.

Lutheri errorem confirmat Calvinus, qui cum Euchariſtiam ægrotis pharmacum eſſe, peccatoribus ſolatium lib.4. inſtit. cap.18. dicat, aliunde omnia opera juſtorum lethalia eſſe doceat, licet a Deo non imputentur ad pœnam; præparationem animi expoſitam improbat.

Cœterum hominem fere nullum eſſe, qui ſaltem diu immunis ſit ab omnibus venialibus, & quotidianis peccatis, Catholici Romani, & ipſi fatentur; illud autem negant, & jure optimo, quod nemo ſit immunis a peccatis mortalibus; itaque ajunt: Euchariſtiam pharmacum eſſe ægrotis, ſolatium peccatoribus; tales autem ægroti, & peccatores ii ſunt, qui vel parvis, ſeu venialibus peccatis ſunt impliciti, vel lethalibus, ſeu criminibus fuerant implicati, quæque per reconciliationis Sacramentum eluerunt; Primis ergo Pharmacum eſt, ſi apte illud ſuſcipiant; ſolatium eſt alteris, ſi religioſe ad illud accedant; quemadmodum enim mortuo ſolatium nullum præbet cibus, & potus, neque ægrotum pharmacum juvat, ſi indiſpoſitus illud ſumat; Sic & Euchariſtia ægrotis indiſpoſitis non prodeſt, neque mortuis per peccatum levamen affert.

Aſt Joſeph Bingham lib.15. cap.8. §.6. confeſſionem privatorum peccatorum coram Sacerdote tamquam neceſſariam præparationem ad Communionem antiquos Chriſtianos non requiſiiſſe arguit ex Chryſoſthomo hom.28. in 1. Cor. ubi exponens Apoſtoli verba „ Non jubet (inquit) alteri alterum

probare, ſed ſibi ſeipſum, faciens judicium privatum, & probationem, quæ careat teſtibus „ & hom.8. de pœnitentia eadem Apoſtoli verba exponens, hominem intus in conſcientia nemine præter Deum adſtante ſeipſum probare, reformare delicta, & ſic pura mente ad menſam cæleſtem accedere, oportere, ait Chryſoſthomo concinit Laurentius Epiſcopus Novarienſis hom.1. de pænitentia Biblioth. Patrum tom.2. Gennadius cap.53. de dogm. Eccl. apud Auguſt. tom.3.

Verum, hæc & ſimilia, quæ opponi poſsunt, nullo negocio diluuntur, ſi advertat Bingham, excludi neceſſitatem publicæ pœnitentiæ, quæ judicium privatum non erat, nec probatio quæ careret teſtibus; Ergo quicumque accederet, debebat ſeipſum probare, ſua delicta ſcrutari, ac dijudicare. quæ gravia, ac mortalia eſsent, retractare, ac reformare per contritionem, & Sacramentalem abſolutionem ſiquidem opportunitas adeſset, & Confeſsarii copia; qui Confeſsarius locum Dei tenens, Dei nomine audit peccata; dijudicat, & abſolvit ſine teſtibus, ac ſine revelatione ulceris; Quod ſi communicaturus nullis mortalibus ſeſe illigatum judicaret peccatis, opus non erat, ut Sacramentali, ac ſecreta confeſſione ſe probaret, ſuamque conſcientiam mundaret.

Sed nonnulla hæic quæri poſsunt, ac primo, an peccata lethalia, quæ ignorentur, Communionis fructum impediant. Secundo. An peccata venialia obſint effectibus Euchariſtiæ. Tertio. Qui Sanctitatis gradus, qui pœnitentiæ digni fructus prærequirantur ad Euchariſtiam ſuſcipiendam?

Ad primam quæſtionem: neſcio aliam aptam reſponſionem proponere, niſi eam, quam S. Th. 3. p. quæſt.80. art.4. exhibet, ibi „ Ad quintum dicendum, quod hoc quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere *dupliciter*. *Uno modo* per culpam ſuam: vel quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum; puta ſi aliquis fornicator reputaret, ſimplicem fornicationem

tionem non eſſe peccatum mortale: vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius, contra id quod Apoſtolus dicit 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*: Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens Corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati; quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum. *Alio modo* poteſt contingere ſine culpa ipſius: puta cum doluit de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus: Et in tali caſu non peccat ſumendo Corpus Chriſti: quia homo per certitudinem ſcire non poteſt, utrum ſit vere contritus. Sufficit enim, ſi in ſe ſigna contritionis inveniat; puta ſi doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris. Si vero ignorat, hoc quod fecit, eſſe actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excuſat, puta ſi acceſſit ad non ſuam, quam credebat eſſe ſuam, non eſt ex hoc dicendus peccator: ſimiliter etiam ſi totaliter eſt peccatum oblitus, ſufficit ad ejus deletionem generalis contritio, ut infra dicetur, (*in ſupplem. q. 2. a. 3. ad 2.*) unde jam non eſt dicendus peccator. „

Ad 2. quæſtionem reſpondeo dicendum cum S. Th. 3. p. q. 79. art. 8. Quod peccata venialia *dupliciter* accipi poſſunt: *Vno modo*, prout ſunt præterita: *Alio modo*, prout ſunt actu exercita. *Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus ſacramenti*. Poteſt enim contingere, quod aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa devote accedat ad hoc ſacramentum, & plenarie hujus ſacramenti conſequatur effectum.

Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus ſacramenti effectum, ſed in parte. Dictum eſt enim, (*a. 1. & 2. hu. q.*) quod effectus hujus ſacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc ſacramentum per peccata venialia mente diſtractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis, hinc ad primum, quod ſibi objecerant, dicendum,

dum, inquit, quod ille qui cum actu venialis peccati ad hoc Sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter, ſed non actualiter & ideo habitualem effectum hujus ſacramenti percipit, non autem actualem.

Ad tertiam: diſtinguenda eſt præparatio ex neceſſitate præ-requiſita ab altera ex quadam congruentia, & convenientia; item diſtinguendus eſt effectus primarius Euchariſtiæ ab effectibus ſecundariis.

Primarius Sacramenti effectus, eſt augmentum habitualis gratiæ & charitatis; ſecundarius eſt, quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis; ratione primi effectus, qui manducat Chriſtum vivet propter ipſum, in ipſo manet, & Chriſtus in eo, qui manens & inhabitans in homine ipſum ſuſtentat auget, ac reparat in vita ſpirituali, quemadmodum fere cibus & potus corporalem vita ſuſtentant, augent, & reparant. Verum quemadmodum cibus, ac potus pro manducantis ac bibentis actuali diſpoſitione magis, vel minus reficiunt delectatione, atque dulcedine adficiunt, vel nocent, & quidem graviter, ſeu leviter; ſimili ratione, Euchariſtia ex actuali diſpoſitione ſuſcipientis, magis vel minus reficit, delectatione ac dulcedine mentem adficit, atque obeſt, ſi indigne ſuſcipiatur.

Primarium effectum omnino impedit peccatum mortale, quo animus inquinatus ex neceſſitate impeditur ab hujus Sacramenti perceptione, adeo ut Sacramentum tali pacto diſpoſitus ſuſcipiens, judicium, & damnationem ſibi manducet, & bibat.

Alterum ſecundarium effectum impedit ex neceſſitate mentis diſtractio voluntaria per peccata venialia, vel attentionis defectus, ſeu omiſſio, ac defectus actuum virtutum Theologalium; cum pro ſumentis devotione, & Religione actuali talis effectus creſcat, vel decreſcat.

Ex congruentia autem impeditur effectus Euchariſtiæ ob multa, cum ſcilicet quis accedat cum quadam feditate corpo-

ris,

ris, vel animæ, propter quam ob reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem, ſeu honeſtam cauſſam.

Sanctitatis nomine plura deſignantur: illud heic venit, quod eſt gratia & charitate habituali dotatum eſſe; quoniam vero gratia & charitas augeri poſſunt, & perfici, hinc ſanctitas plures gradus perfectionis habere poteſt, quæ charitas chriſtiana in actus erumpens, pro actuum gradibus & heroicitate, ſanctitas etiam adpellatur; vide in hanc rem S. Thomam 2. 2. q. 184. art. 3. ubi late diſputat an perfectio in præceptis, an in conſiliis conſiſtat. Pœnitentiæ digni fructus, ſunt contritionis, & charitatis chriſtianæ exercitia; quæ cum in plures gradus diſtinguantur, facile patet dignos fructus penitentiæ in gradus diſtingui; verum cum hæc graduum diſtinctio Subſtantiam & eſſentiam non diſcernat; plus enim & minus, ut ſcholæ loquuntur, non variant ſpeciem: hinc dignos pænitentiæ fructus facit, quicumque gratia & charitate habituali donatus propria implet officia erga Deum, ſeipſum, & proximos. His breviter explicatis, & ex S. Thomæ principiis, quæ Chriſtianæ inſtitutioni innituntur, delibatis, dico primo.

Ex neceſſitate inpedit hominem ab hujus Sacramenti perceptione ſolum peccatum mortale. Gradus proinde ſanctitatis is requiritur, qui in charitate habituali conſiſtit.

Dico 2. primarium Euchariſtiæ effectum ſolum peccatum mortale impedit, quare peccata quævis venialia, quin & mortalia condonata præcipuum effectum impedire nequeunt.

Dico 3. ſecundarios effectus plurima impedire poſſunt; ſeu ex neceſſitate, ſeu ex congruentia: quare quo magis quis eſt diſpoſitus, & majori devotione, & charitate accenſus, eo magis tales effectus percipit, quin & aliquando præcipui effectus augmentum conſequitur. Aſſerta expoſita aperte colliguntur ea

Doctri-

Doctrina S. Th. contenta loc. cit. & ex univerſæ Eccleſiæ praxi ac diſciplina comprobantur, majores enim noſtri per priora fere 12. ſecula SS. Sacramentum infantibus, Amentibus, aliiſque actualis rationis uſu deſtitutis largiebantur; jamvero iſti Sanctitatis perfectos gradus, vel charitatis fervidiſſimæ actibus, nec obtinebant, neque incenſi erant; quin & devotionis actualis incapaces erant. Præterea viguit diſciplina, qua Euchariſtia omnibus promiſcue fidelibus conferretur, qui in publica pænitentia non eſſent: quinimo fideles omnes, qui miſſæ adeſſent & Sacrificii conſummationi, ſaltem feſtis diebus, debebant Euchariſtiam ſumere: ad hæc & illud conſtat Penitentiæ publicæ partem non infimam habitam fuiſſe homines miſſæ adſtantes Chriſti Corporis perceptione privare. Ex hac autem diſciplina manifeſte concluditur, vel omnes promiſcue fideles, qui in pænitentia publica non eſſent, fuiſſe ſanctos, & Charitatis fervidæ, uti vulgo dicitur, ac Religionis ſummæ actibus perfectos: vel talem ſanctitatem, tales charitatis & Religionis gradus ad Euchariſtiam percipiendam diſpoſitiones neceſſarias non fuiſſe ab Eccleſia requiſitas. Primum nec Antiqua, nec præſens Eccleſia credidit, vel cenſuit; dicendum proinde erit ſecundum dilemmatis membrum.

Sed contra opponuntur qnædam, ac primum deſumitur ex antiqua diſciplina poenitentiæ: Patres enim lapſis, & peccatoribus communionem denegabant paſſim, & ordinarie, niſi diu, ſtatiſque temporibus poenitentiæ laboribus perfuncti fuiſſent: alterum petitur, ex iis Patrum loquendi formulis, quibus ſummam innocentiam ſummam charitatem, ſummam Religionem abiis, qui communicare volunt, requiſitas ſignificant. Hęc pluribus perſequuntur, qui Chriſtianæ Eccleſiæ diſciplinam, ac mores reformare privata auctoritate pertendunt, & neſcio, quam novam Chriſtianæ Charitatis idęam, ac legem obtendunt.

Ad primum itaque argumentum plana eſt reſponſio, nulla olim

la olim peccata publicæ Pœnitentiæ fuiſſe ſubjecta, niſi quae publica eſſent; atque ſcandalum parerent; occulta autem nonniſi ex peccatoris voluntate huic diſciplinæ ſuberant; cum ergo diſciplina publicæ poenitentiæ antiquis idem fere eſſet, ac nobis cenſuræ Eccleſiaſticæ; mirum non eſt, ſi peccatoribus nonniſi diu pœnitentiæ laboribus perfunctis communio Euchariſtica concederetur, quandoquidem nonniſi diu probatis Reconcilatio dabatur; quemadmodum ex præſenti diſciplina homines peccatores Eccleſiæ cenſuris illigati, ab Euchariſtia excluduntur, donec Reconciliati, & abſoluti fuerint, & ordinarie ad Reconciliationem, & abſolutionem a cenſuris non admittuntur; niſi ſtata, ac pùblica peracta poenitentia; Hoc autem intereſt, quod diſciplina Eccleſiæ temporibus, locis, ac perſonis congruà varias subjerit viciſſitudines, & modo benigna, modo rigida eſſet, ac ſevera: oſtendant, vellem Divinum præceptum, quo publicæ diſciplina pœnitentiæ præſcribatur ut neceſſario præmittenda communioni ab iis, qui peccato mortali quocumque fuerint infecti; cedant Præceptum Eccleſiæ, quo immutabiliter cavetur ne Euchariſtia Peccatori concedatur, niſi diſciplinæ laudatæ ſeſe ſubmiſerit; & forte opinionem ſuam probabilem reddent: quæ cum nec oſtendant, nec probabilia reddant, conſequitur manifeſte, primo, ab Eccleſia diſciplinam pœnitentialem juſte, ac legittime fuiſſe abrogatam. Secundo, Petri oxonenſis propoſitionem de improbandis abſolutione, & communione, quas non antevertat ſatisfactio Sacramentalis ita conceptam „ ſacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis poenitentiam egerint „ merito proſcriptam fuiſſe ab Alexandro VIII. die 7. Decembris an. 1690. Tertio Præſentem Eccleſiæ diſciplinam, qua homini peccatori contrito, & confeſſo Euchariſtia conceditur, non eſſe contrariam antiquæ, cum antiqui etiam Euchariſtiam concederent peccatoribus contritis & confeſſis & quidem paſſim, ac ordinarie, modo peccata non

ſubjacerent diſciplinæ publicæ pœnitentiæ. 4. Demum etſi contraria videatur alicui, attamen improbanda non eſt, nec damnanda, neque priſtina diſciplina privata auctoritate inducenda vel ejus exemplum urgendum; alias, Peccatores a miſſa fidelium eſſent excludendi, & peccatores, qui miſſæ adſiſtunt dum ſunt in pœnitentia; hoc namque vetus diſciplina habebat.

Ad alterum objectum, Reſponſio ex prænotatis inclareſcit; ſummam enim charitatem Patres nonnulli requirunt, ſummam Religionem *eſſentialem, & per ſe, non ſecundario & accidentaliter*. priori modo eſt perfectus, quicumque habitu charitatis chriſtianæ, & gratia ſit formatus; Quod ſi aliqui Patres charitatis actualis & devotionis religioniſque gradus ſummos, & heroicos videantur exigere, id, primo, Oratorie deprædicant; oratores namque ad ſummum excitant, ut vel infimum impetrent. Secundo: ſi autem ſimpliciter & gradus ſummos requirant hos exigunt, ut fideles fructus & effectus ſecundarios perfectiſſimos ex diſpoſitione provenientes conſequi queant. Cęterum quod Patribus Eccleſiæ certum eſſet, & exploratum, peccata venialia, & mortalia condonata, non obeſſe primario effectui Euchariſtiæ, quin & Euchariſtiam medelam eſſe vulnerum, & peccatorum venialium, ac mortalium condonatorum plenam conferre remiſſionem, & ſatisfactionem congruam continere, concupiſcentias refrænare, vitia extinguere, devotionem, ac charitatis fervorem promovere; indubium eſſe nequit, ſive praxim, de qua ſupra, conſideremus, ſive catholica dogmata ab illis aſſerta, & explicata perpendamus; lege ſi placet, cathechiſmum Rom. part. 2. num. 51. & ſeqq. & S. Th. 3. p. q. 79. art. 6. & 8. in corpore. atque cl. Bertum lib 33. de Theologicis diſciplinis cap. 17.

Neque vero animi ſolum, ſed etiam corporis præparatione opus eſt. Nam Jeuni ad ſacram menſam accedere debemus, itaut ſaltem à dimidia antecedentis diei nocte uſque ad illud temporis punctum, quo Sacram Euchariſtia accipimus, nihil omni-

omnino comederimus, aut biberimus: hæc Catechiſmus Romanus cit. num. 58. etſi enim diſcipuli Chriſti in Sionis Cœnatculo Corpus & Sanguinem Domini ab ipſo Chriſto acceperint non jejuni, & Chriſtus ipſe, quo vehementius commendare myſterii illius altitudinem ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ Diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat, quare & poſt Cœnam illud inſtituit, & Apoſtolorum prudenti ordinationi reliquit, ut ordinem, quo deinceps ſumeretur diſponerent; neque tamen monuit ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, hunc enim morem nemo variaſſet, vid. aug. ep. 118. ad Januar. Qui propterea calumniandum non eſſe univerſæ Eccleſiæ morem ſcribit, quod à Jejunis ſemper accipiatur; hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honore Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam cœteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neque enim, quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit, & emendat, menſis ſuis iſta miſcere.

Hujus Eccleſiæ moris teſtis eſt Tertull. lib 2. ad uxorem ſcribens „ Non ſciat Maritus (infidelis) quid ſecreto ante omnem cibum guſtes „ Chryſoſth. hom. 17. in priorem ep. ad Corinth. „ Tu prius, quam communices, jejunas, ut quomodocumque communione dignus adpareas„ quamobrem mos invaluit, ut ſacrificium Euchariſticum matutinis & non veſpertinis horis offeratur vid. Cypr. in ep. ad Cœcilium. Quamvis autem Eccleſiæ mos hic obtinuerit, nihilominus caſus quidam ſunt, quibus Euchariſtiam non jeunis licet diſpenſare, ac primo, conſuetudo olim invaluerat in africa Euchariſtiam ſerotinis horis poſt cœnam conficiendi, & ſumendi, de quo more vid. Aug. laudata ep. 118. cap. 7. hunc tamen morem eliminavit Cartag. ſynodi an. 397. celeb. can. 29. „ Ut Sacramenta altaris nonniſi à Jejunis hominibus celebrentur excepto uno die anniverſario quo

cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, ſive Epiſcoporum, ſive Clericorum ſive cœterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur „ eundem morem præter conſuetudinem communiter apud omnes conſecratam Egyptii ſervaſſe dicuntur à Sozomeno hiſt. l. 7. cap. 19. qui ſub veſpera ſabbato convenientes ac jam pranſi myſteriorum participes fiebant. Cœterum Trullani Patres can. 29. vetuerunt, ne amplius feria v. in Cœna talis mos ſervaretur. Alter caſus, in quo Sacerdoti non jejuno licuit, & licet Euchariſtiam ſumere eſt, ut perficiat ſacrificium, quod facta, aut unius aut duplicis ſpeciei conſecratione, Sacerdos a quo fuerat inceptum, præ inopinata infirmitate, aut alio repentino caſu ad exitum non valet perducere vid. can. 2. Toletani 7. Tertius caſus eſt, ægrotis quamvis jejuni non ſint, licet Euchariſtiam ſumere ſi tamen jejunium naturale ſine gravi incommodo ferre non valeant vid. ſeſſ. 13. concilii Conſtantienſis: extra hos nonnulloſque de quibus vide Rubricas Miſſalis Romani, ex Eccleſiæ prohibitione nefas eſt ad Euchariſtiam accedere ſine naturali jejunio, quod ſolvitur per quodcumque ſumatur per modum cibi, & potus, vide can. 2. Tolet. 7. & S. Th. 3. p. q. 80. art. 8. ubi & varias profert congruentias, ob quas lex iſta in Eccleſia obtinuit, deſumtas ex hujuſce Sacramenti Sanctitate, ex devotione in communicantibus requiſita, denique ex periculo vomitus, qui pleriſque ex leviorum etiam ciborum ſumtione nonnumquam imminet. Expendant jam Recentiores Novatores an non inſolentiſſimæ inſaniæ ſit diſputare de hac corporis præparatione, quam tota per orbem frequentat Eccleſia?

Poſtulat etiam tanti Sacramenti dignitas ut qui matrimonio juncti ſunt aliquot dies à concubitu uxorum abſtineant, Davidis exemplo admoniti, qui cum panes propoſitionis à Sacerdote accepturus eſſet, purum ſe, & pueros ab uxorum conſuetudine tres ipſos dies profeſſus eſt „ Itaque quæcumque

carnis

carnis impuritas,& immunditіes oriatur ex peccato mortali impedit ſumptionem Sacramenti, & quidem de neceſſitate, ſi peccatum non fuerit retractatum & remiſſum, de congruentia, ſi fuerit condonatum, & id primo, ob fœditatem corporalem, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere (unde & volentes tangere aliquid ſacrum, manus lavent); niſi forte talis immunditia ſit perpetua, aut diuturna, ſicut eſt lepre, vel fluxus Sanguinis, vel aliquid h. m. 2. ob evagationem mentis, quæ ſequitur tales pollutiones, ſeu coitus vid. S. Th. 3. p. q. 80. art. 7. cœterum etſi congruentiſſime quis à communione abſtinere debeat ſiquidem actum eonjugalem exercuit, vel peccaverit contra ſextum decalogi præceptum, licet pœnituerit ipſum, nihilominus, qui contritus & confeſſus peccatum grave, accederet ad Euchariſtiam, peccatum lethale non admittet, nec ſacrilegium, quin & primario fructu ſeu effectu propterea non privaretur, quidquid Nonnulli ſcribant, nam neque Divino jure, nec Eccleſiaſtica lege prohibetur accedere; ſed ſatis de præparatione heic dicta ſunto. Nunc ad aliam exceptionem peculiarem progredior, petitam ex illegittima Miſſæ privatæ abrogatione.

ſ. II.

De Miſſa Privata.

ETſi Miſſa numquam propriè loquendo privata ſit, quælibet enim commune, & publicum eſt Sacrificium a publico, & legittimo miniſtro peragitur ritu publico, & probato ab Eccleſia offertur, & pro publica commoditate, ideſt pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Chriſti pertinent offertur; ex modo tamen recepto loquendi, privata ea Miſſa dicitur, in qua ſolus Sacerdos Sacramentaliter Communicat, & quæ vel aguntur abſque publico conventu populique frequentia, vel

celebrantur a Presbytero abſque Sacrorum Miniſtrorum Clericorumque comitatu. Miſſas haſce peculiares, ac ſolitarias aliquando adpellatas, improbant Novatores, ac nonniſi quæſtus cauſa inductas eliminandas pronunciant, & unam communem, ac publicam cœnam, ut dicunt, in qua populus adſtans communicet, commendant, ac depredicant.

Contra Novatores ſcripſerunt noſtri Theologi, breviſſime nos quædam heic delibabimus, ac potiſſimum ex cl. Berti lib. 33. Theol. diſcipl. cap. 21. id autem demonſtrandum adgredior, quod Privatæ Miſſæ nec divino, nec Eccleſiaſtico præcepto repugnent; nullum enim in Sacris Literis invenitur præceptum, ut Sacerdotes publice tantum, & in Conventu Eccleſiæ offerant Sacrificium, neque ut a communicando abſtineant, quando nullus adeſt Laicorum, qui ex eorum manibus percipiat Communionem; eſt quidem apoſtolis præceptum, ut etiam non conſecrantibus diſtribuant Euchariſtiam; ſed ut diſtribuant ſemper, & quotieſcumque Sacrificant, tantum abeſt, quod præſcriptum ſit, quin vetitum eſt, ne dent *Sancta Canibus* neque indignis porrigant Sacramenta, ideoque ſi peragant rem divinam, ipſorum eſt diſpenſandæ communionis dijudicare locum, tempus, atque oportunitatem.

Nullum pariter Eccleſiæ præceptum unquam fuit, ut Sacerdotes publice, & non privatim offerrent; quin, & conſtat ex monumentis antiquis Miſſam fuiſſe celebratam in privatis ædibus, in carceribus, aliiſque locis, abſque cœtu fidelium, & quidem nemine, Sacerdotibus exceptis, communicante vide Nazianz. orat. 19. in laudem Patris ſui, Philoſtorgium lib. 2. hiſt. Eccl. atque cl. Martene in ſuis doctiſſimis libris de Ritibus, illud etiam certiſſimum eſt ex hiſtoria Eccleſiaſtica Sacerdotes quotidie celebraſſe nemine ad Sacram Comunionem accedente, Johannes Chryſoſthomus adverſus eos, qui tantum in quadrageſima ad Sacra accedebant myſteria hom. 3. in Ep. ad Epheſios inquit „ fruſtra eſt quotidianũ Sacrificiũ, fruſtra adſtamus

mus altari; nemo eſt, qui participet „ & hom. 17. in Ep. ad Hebr. „ multi, inquit, hujus Sacrificii ſunt participes ſemel toto anno: alii autem biſ: alii verò ſæpe = Quamobrem 6. ſeculo agathenſis can. 18. juſſit, ut ſeculares communicarent ter in anno, ideſt in die *Nativitatis Domini* Paſchatis, & Pentecoſtés, can. autem. 47. mandavit, ut ſingulis diebus Dominicis ipſimet ſeculares Miaſſam audirent; certe hinc evidenter adparet Sacerdotes celebraſſe, quin fideles adſtantes communicarent: Miſſam namque publice celebrare ob ſolum commodum populorum perſuaſum fuit antiquis, numquam verò privatas Miſſas illicitas fuiſſe; enimverò in Sacrificio Miſſæ, tametſi nullus Laicorum communicet, offertur Deo verum ac perfectum Sacrificium, quo redditur cultus ipſi Deo, quo celebratur Sanctorum memoria, quo fidelibus vivis atque defunctis pax, venia, requies, omniaque bona impetrantur; hinc Johannes eleemoſinarius, Leontio Cyprio cap. 41. vitæ ejus teſte, ajebat „ ego propter vos deſcendo in Sanctam Eccleſiam: nam poteram facere mihimet Miſſas in Epiſcopio. „

Itaque Privatæ Miſſæ celebrantur, ut Deo honos, & cultus exhibeatur, Sanctorum memoria celebretur, vivi, atque defuncti fructum Paſſionis Chriſti participent; quoniam autem qui altari inſervit, de altari vivere debet, hinc, & decimæ, ac oblationes, & primitiæ Sacris Miniſtris debentur; & ex altera parte populus fidelis Sacrificio communicat oblationes pro Sacrificii materia faciendo, propterea antiquis oblationibus, ſucceſſere *ſtipendia*, ſive potius eleemoſinæ pecuniariæ, quæ a fidelibus dantur Sacerdotibus pro Miſſis non tamquam *Sacrificii pretium*, ſed ratione *proprie ſubſtentationis*. Mos hic Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicis teſtimoniis, Eccleſiæ praxi, & omni jure probatiſſimus cum ſit, mirari ſubit, quì a Luthero tam acri cenſura reprobetur?

Aſt objiciunt hæretici: Chriſtus ait, *hoc facite in meam commemorationem*: Ipſe autem quando conſecravit, diſtribuit.

Præ-

Præterea Apoſtolus ad Corinthios appellat panem, quem frangimus, *participationem Corporis Domini*, cap.xi. ſcribit, manducari *Dominicam Cænam* in Eccleſia, ubi in unum conveniunt plures. Adhæc in eſu agni plures ad eandem cænam conveniebant, ut habetur exod. cap. 12. erat autem agnus ille typus convivii Euchariſtici.

Hæc novatorum argumenta nullius roboris eſſe, vel ipſi vidiſſent, ſi ad ſcripturæ ſenſum germanum animum advertiſſent. Itaque Chriſtus præcepit Sacrificii Euchariſtici oblationem; in Euchariſtico autem Sacrificio diſtinguenda ſunt quæ pertinent ad ſubſtantiam rei, & quæ ad loci, vel temporis circumſtantias; ad ſubſtantiam ſpectat, quod agantur Deo gratiæ benedicantur, & conſecrentur oblata, de his participet, qui Sacrificat, & hæc omnia fiant in commemorationem paſſionis Chriſti; Quod verò huic Sacrificio adſit populus, communionem petat, & porrigatur illi una, vel utraque ſpecies, idque fiat in hujus vel alterius loci aut temporis circumſtantiis, iſtud non adtinet ad Sacrificii ſubſtantiam, & arbitrio Rectorum Eccleſiæ relictum eſt; alioquin ſi omnia, quæ Chriſtus fecit, caderent ſub præcepto; poſt cœnam, ſemel in anno, a diſcumbentibus, feminiſque ſecluſis, quin & cæteris fidelibus qui 12. Apoſtolos non referunt (ſiquidem alii Chriſti Diſcipuli non aderant in noviſſima cœna) Euchariſtia eſſet percipienda.

Jam vero in Miſsa privata aguntur Deo gratiæ, benedicuntur, & conſecrantur oblata, de his participat Sacerdos, qui hæc omnia facit in commemorationem Paſſionis Chriſti; cum ergo his conſtet Euchariſtici Sacrificii finis ratio, & eſsentia, manifeſte concluditur, impleri a Sacerdotibus mandatum Chriſti dum celebrant Miſſas privatas.

Cœnam Dominicam communem dicimus, quoniam pro omnibus eſt inſtituta, omnibus legittime petentibus miniſtratur a Parochis, omneſque unum eundem panem accipiunt; In hac cœna percipitur Corpus Chriſti, & iſtud fidelibus diſtribuitur

buitur *convenientibus in unum*; aſt hinc non ſequitur Corpus Chriſti numquam offerri poſſe, vel fuiſſe oblatum abſque conventu, & participatione fidelium; quemadmodum non ſequitur fidelium quamplurimos numquam privatim, & abſque congreſſu aliorumque conventu idem Sacratiſſimum Corpus manducaviſſe, vel manducare potuiſſe.

Quod de agno Paſchali additur, facile ſolvitur, tum quia neceſſum non eſt, ut figuræ per omnia reſpondeant veritati; tum quia totus agnus non poterat ab uno manducari, tum quia nec cœna Paſchalis erat una communis, ſed per ſingulas domos familiæ ad eſum agni conveniebant.

Sed inſtant Novatores, & arguunt primo ex Orientalium Liturgiis, ex quibus patet eos ſine communicantibus numquam Miſſas agere. Quare Can. X. Apoſtolicus communione privat eos, qui ingrediuntur Eccleſiam, nec Sanctam Communionem percipiunt. Et Chryſoſtomus *fruſtra* dicit fieri quotidianum ſacrificium, *ſi nemo ſit, qui participet*. 2. ex Liturgia Romana, in qua habentur verba, quae ſignificant adſtantium communionem in omnibus fere precibus, quas ob præſentium multitudinem *collectas* dicimus, & in ipſo *Canone* ubi hæc leguntur: *Ut quotquot ex hac altaris participatione &c.* quamobrem S. Franciſcus in Epiſtola ad Sacerdotes ſui ordinis unam Miſſam in die commendat, idque, ſecundum inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ.

Mirari ſubit, qui a Novatoribus Orientalium diſciplina opponatur, cum certiſſimum ſit Orientales ſoepe offerre ſine populi Communione, quamvis finita publica ac ſolemni Miſſa ſoleant præſentibus diſtribuere panem, unde exciſa eſt oblatio quem eulogiam, *antidoron*, *benedictum*, quaſi loco Sacramenti datum appellant: qui non credit adeat ipſas Orientalium Eccleſias ubicumque terrarum conſtitutas; in omnibus Sacerdotes tum privatim tum publice celebrant. Canon Apoſtolicus hunc ſenſum habent quem ex Verſione Halloandri, & collatione

tione Canonis 2. Antiocheni necnon interpretatione Zonaræ a Voſsio. Diſput.2.theſi 2.probatur,ubi ſcribit „ Itaque ſenten-„ tia Canonis erat, non ut quiſque, quoties adeſt, communicet, „ ſed ne, necdum peracta communione, diſcedat „. Sed & illud demus Novatoribus, præceptum fuiſſe in primordiis Eccleſiæ ad ſcandali occaſionem tollendam, unde confuſio, ac perturbatio oriebatur, præceptum fuiſſe inquam; ut omnes, qui Miſſæ adſtarent,neque poenitentiæ obnoxii eſſent,quin & communioni cæterorum fidelium præſentes eſſent, communionem percipere tenerantur; inde tamen non ſequitur, Sacerdotes non potuiſſe Miſſam offerre ſine populi frequentia & communione; alias ſi vel unus non communicaret, Sacerdos celebrare & communicare non potuiſſet. Quod ex Chryſoſtomo obiicitur, illud Novatores revincit, nam ſi quotidianum offerebat Sacrificium ſine quotidiana populi communione, profecto noverat hujuſmodi Sacrificii oblationem non eſſe illicitam, aut illegittimam. Non eſt ergo cur hæretici ſubiraſcantur doctiſsimo Bellarmino agnoſcenti in oratione Chryſoſtomi rethoricam quandam Hyperbolem; optabat enim, & hortabatur omnes, ut digne ſe præpararent, & ita quotidie de Sacrificio participarent.

Sacerdos ex Liturgia Romana etiam in Miſsis privatis, in quibus nullus alius communicat, pronunciat numero multitudinis ea verba, *ut quotquot ex hac &c.* quoniam multi ſæpe numero, etſi non ſemper, de altari participant, nonnulli communicant ſpiritualiter; & Sacerdos ſuo aliorumque fidelium nomine offert, & orat. Collectas vero eſſe orationes ſolius Miſſæ publicæ ſcripſerunt Micrologus, Honorius Auguſtudunenſis, Innocentius III. & alii apud Lupum de præſcriptione pag. 752. nec probabilitate caret, fuiſſe olim prætermiſſas in Sacrificiis privatis; ſed jure meritoque in his etiam recitantur cum Sacerdos fungatur Legatione pro populo, & pro Eccleſia Univerſa.

Bel-

Bellarminus lib.2. de Miſſa cap.10. negat illam Epiſtolam revera fuiſſe conſcriptam a Divo Franciſco; aut ſi genuina eſt, de alia die accipiendam, quam Feria V. Majoris Hebdomadis. Wadingus Seraphici Patris verba exponit de Miſſa Conventuali. Cardinalis Bona lib.1. Rer.Liturg. cap.4. num.6. ea verba *ſecundum formam Eccleſiæ Romanæ* ad Ritum Miſſæ, non ad conſuetudinem, quæ eo temporis obtinuerit, eſſe referendam ait, virumque ſummum humilitatis cauſa fratres monuiſſe, ut uni adeſsent oalationi, ne ex frequentiori celebr tione fierent tepidiores. Joſeph Vicecomes Volum.3. de Rit. Miſsæ cap.29. pag. 279. Demonſtrat ætate Beati Franciſci in Eccleſia Romana celebratas fuiſse privatas Miſsas complures, & fuiſse tantum in more poſitum apud aliquos cœnobitas agere Miſsam unam, ad quam omnes convenirent, quare Seraphicus Pater adhortatus fuit, non tamen mandavit, ut ſui in agendis Miſſis conſuetudini potius aliorum cęnobitarum, quam cęterorum Præsbyterorum ſeſe accomodarent, uti cenſet Gonzalez in 3. decret. tit. 41. pag. 796. Quidquid demum ſit, certo conſtat privatam Miſſam pravo fine non fuiſſe introductam, quod jam probandum.

Itaque adfirmo cum Apoſtolo 1. Corinth. cap. 9. „ Neſcitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant? „ Cujus ratio eſt, quia quiſquis officium ſuum impendit aliis ſpiritualia miniſtrando, temporalibus adjumentis, ſtipendiis, ac privilegiis frui debet, vel eo maxime ne ſæcularibus ſe negotiis implicans, Dei, ac populiorum famulatui, & ſervituti deſit. Ea ſane ratione mos ſemper viguit, ut Eccleſiaſticis ad propriæ vitę ſubſtentationem ſtipendia darentur, ſeu eleemoſinæ, quæ oblationibus ſucceſſere, quæ initio Eccleſiæ fiebant non tantum pro Sacrificj materia, verum etiam pro uſu Miniſtrorum, & Pauperum. Hæc ſane cauſa fuit Chriſtianis Principibus, aliiſque piis Religioſiſque viris, ut multa legarent pro Miſſis agendis, de quibus vide Grodegandum in

Re-

Regula Canonicorum, Card. Bona cit. loc. Mabillonium præfat. 1. in ſæculum 3. Ducangium v. eleemoſinæ. Quomodo vero, Epiſcoporum, ac in primis Romanorum Pontificum malis, quæ ex his ſtipendiis occaſione veluti data emerſerunt, occurrerint, non eſt hujus loci exponere, in quo etſi liberaliter agendo, hæreticis concedam multitudinem Miſſarum privatarum inde obortam, quod nimirum fidelium votis, atque Pietati indulgendum ſenſerint antiqui, varias pro illis qui ſua bona larga manu Eccleſiis legabant, Miſſas, eaſque multiplices celebrando, numquam tamen conficient, quod ſtipendium tamquam Sacrificii pretium fuerit acceptum, aut quod olim Miſſarum privatarum uſus non fuerit. Atque ut rem abſolvam, quæſtio olim agitata fuit, & recens pullulavit in nonnullis Italiæ Dioeceſibus an Sacerdos celebrans teneatur Laicis petentibus Euchariſtiam diſtribuere! Hanc quæſtionem doctiſſime pro more ſuo diremit BENEDICTUS XIV. datis literis Apoſtolicis die 13. Novembris 1742. ad Italiæ Epiſcopos, ex quibus tria conſequuntur, primum communionem adſtantium nequaquam eſſe neceſſariam ad Sacrificii eſſentiam, aut perfectionem: Parochos vero, qui miniſtrare Sacramenta legittime petentibus tenentur ex officio, poſſe pro variis circumſtantiis ad nutum Epiſcopi in Miſſa, & extra Miſſam Euchariſtiam diſtribuere, ipſorumque Epiſcoporum monita ab aliis quoque Sacerdotibus eſſe obſervanda. Alterum, Rem eſſe magnopere congruam, ſi in ſingulis Miſſis aliquis adſtantium communicet Sacramentaliter. Tertium denique, in his, cœteriſque rebus ad diſciplinam ſpectantibus ſedulo dandam eſſe operam, ne fraudetur, Pietas, & ne ſub devotionis prætextu, pravum aliquod, ac pernicioſum dogma ſubrepat. Sed ſatis hactenus, cætera mittamus & Theologis relinquamus: faxit Deus, ut Novatores tandem in ſe reverſi ad unionem Eccleſiæ Romanæ redeant, quo Chriſti vero Corpore, ac Sanguine ſaginati, in ipſo ut in vite maneant ſemper, quod unum eſt mihi in votis.

FINIS.